Gloël, Heinrich
De interpolatione
Hippolyti fabulae
Euripideae

DE INTERPOLATIONE HIPPOLYTI FABULAE EURIPIDEAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
DIE XIV. MENSIS JULII A. MDCCCLXXIX HORA XII.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
HENRICUS GLOËL
SAXOBORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
A. MANSFELD, DR. PHIL.
M. KRÜHNE, CAND. HIST.

HALIS SAXONUM
TYPIS KARRASIANIS.
MDCCCLXXIX.

PARENTIBUS CARISSIMIS

HAS PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

Disputaturo mihi de interpolatione Hippolyti fabulae Euripideae nonnulla in universum videntur esse praefanda. Euripidis tragoedias interpolationibus depravatas esse nunc inter omnes constat. atque duo potissimum sunt discernenda interpolationum genera. *alias* factas esse ab histrionibus scimus testimonio grammaticorum Alexandrinorum, quorum doctrinae vestigia in scholiis sunt servata, *aliae* referendae sunt ad lectores et grammaticos, qui aut consulto versus interpolabant, aut verbis poetae adscribebant quae postea librarii non tam dolo malo quam imprudenter in ipsum textum receperunt. cui generi singulae interpolationes adscribendae sint, saepe in medio relinquendum est. pleraeque autem sunt antiquissimae, quamquam sunt etiam, quae Byzantinis demum grammaticis deberi videntur (cf. Wecklein. loco mox citando p. 350).

Excitatum est studium interpolationum in Euripide indagandarum a Valckenario, qui primus in editione Phoenissarum (1755) multos, in editione Hippolyti (1768) nonnullos versus ingeniose in suspicionem vocavit. atque maxime nostra aetate, postquam firma critices Euripideae fundamenta editione Kirchhoffi (1855) iacta sunt, viri docti in eo operam posuerunt, ut versus spurios rimarentur atque detegerent. magnumque numerum expunxerunt editores recentiores et maxime quidem Nauckius. disseruerunt autem de interpolatione Euripidea post Hartungum [1]) et Firnhaberum [2]), quorum ille in delendis, hic in defendendis versibus modum excessit,

Cobetus Var. Lect. p. 562—69 (ed. II. 1873) et Nov. Lect. p. 291—305 (1858),

---

[1]) „De Euripidis fabularum interpolatione", quae disputatio praefixa est editioni Iphigeniae Aulidensis p. 1-68. Erlang. 1837.

[2]) „Die Verdächtigungen Euripid. Verse beleuchtet und in den Phönissen u. der Medea zurückgewiesen" Lpz. 1840.

Nauckius passim in „Euripideische Studien“ in Mémoires de l'académie de St. Petersbourg. 1859 et 1863,

Hirzelius „De Euripidis in componendis diverbiis arte“ diss. Bonn. 1862 p. 34 ss., Weckleinius „Studien zu Euripides“ in Fleckeiseni annal. philol. supplem. VII, 1873—75 p. 350—60, de singulis locis *alii* multi in ephemeridibus philologicis. disputationes ad singulas tragoedias spectantes mihi innotuerunt hae:

Berger. „De *Medea* Euripidis tragoedia ab histrionibus interpolata.“ Gotting. 1830, quam diss. inspicere mihi non licuit,

Witzschel. „De versibus in Euridis Medea male repetitis“ in act. soc. graec. II. p. 143—61. Lps. 1840,

Trautmann. „De Euripidis *Phoenissarum* versibus suspectis et interpolatis.“ progr. gymn. Hal. 1863,

Altenburg. „De versibus, qui sunt in Phoenissis spurii“ diss. Hal. 1865,

Steinberg. „De interpolatione Euripideae *Electrae*“ diss. Hal. 1864.

de interpolationibus *Iphigeniae Aulidensis* egerunt cum alii tum Godofr. Hermannus 1847 et 1848 (opusc. VIII, p. 218—42), Hartungus l. l. p. 69—97,

Hennig. „De Iphigeniae Aulidensis forma ac condicione“ diss. Berol. 1869.

Iam ut libere dicam, quid sentiam, ut sagaciter et saepe feliciter viros doctos in indagandis interpolationibus versatos esse non eo infitias, ita in universum eos nunc huic studio nimis indulgere habeo persuasum. atque in Hippolyto quidem in suspicionem adducti sunt quod sciam versus omnino 97 et quidem 48 diversis locis. in quibus examinandis maxime mihi res erit cum Nauckio, qui Hippolytum tractavit in Euripid. studd. parte II. p. 1—48, et cum Bartholdo, qui in Musei Rhenani tomo 31. (1876) p. 313 ss. et in Philologi tomo 36. (1877) passim multos Hippolyti locos damnavit.

De argumentis interpolationis et de ratione huius disputationis universa.

Generalis quaestio, quibus finibus interpolatio apud Euripidem circumscribenda sit, nondum exstat, neque consentiunt homines docti, quam late pateat haec labes. alii enim ita saeviunt in verba poetae, ut vel ob minimam offensionem versus proscribant, alii vel durissima atque absurdissima propter codicum auctoritatem retinent. neque hoc mirum, quandoquidem cum universus apti et pulchri sensus in singulis hominibus est diversus, tum maxime Euripidis poesis ita comparata est, ut varie de ea possit iudicari. itaque quo quis propius Euripidem ad praestantiam et quasi absolutam speciem perfecti poetae accedere putat, eo proclivior est ad asperitates, quae in eo occurrunt, tollendas; contra qui minorem de eo conceptam habet opinionem, multa, quae non possunt laudari, tolerabit patienter. verum enim vero non nostro arbitrio et quodam sensu ut ita dicam aesthetico moveri debemus, ut aliquem versum poetae abiudicemus. sed multo certioribus argumentis opus est. eas igitur rationes, quas totius disputationis quasi fundamentum esse voluimus, nunc breviter indicabimus. ante omnia, si modo caute et circumspecte criticen factitare volumus, id tenendum est, non eos versus esse delendos, qui deesse possunt, sed tantum eos, qui deesse debent, neque eos, qui aliquo modo displicent, sed eos, qui quominus omnino admittantur, graves et certae obstant causae. atque illa quidem opinio, ex qua Euripidi tantum pulchra et eximia tribuuntur, est aperte falsa. namque hic poeta esti multa condidit praeclara, tamen si quis alius scripsit etiam trita, ieiuna, importuna, reprehensione digna. sed multum abest ut *omnes* difficultates hac ratione possint excusari. immo vero interpolationis argumenta haud dubia posita esse possunt et in elocutione et in sententia. quamquam enim multa insolenter dicta aut excusationem habent aut coniecturis emendanda sunt, tamen interdum valent ad versus damnandos, et maxime quidem, si molestia non in singulis verbis inest, sed in tota verborum structura. etiam gravius est alterum argumentum. nam si qua sen-

tentia aut cogitatorum progressnm turbat, aut consilio totius loci vel etiam totius fabulae manifesto repugnat, aut ab universa ratione atque ingenio Euripidis abhorret, eam luculenter apparet ab Euripide scriptam esse non posse, idque eo magis cum ad interna quae vocantur accedunt etiam externa interpolationis indicia. omnino autem cauendum est, ne corruptissimum quemque locum propter solam emendandi difficultatem putemus subditicium. neque in universum ei versus delendi sunt, quibus deletis aut lacuna oritur aut gravi mutatione eorum verborum, quae relinquuntur, aut transpositione versuum opus est. denique semper videndum est, ut causa atque origo interpolationis sit perspicua [1]).

His certis rationibus ducti, praeiudicatis opinionibus non admissis, quo diligentius singulorum locorum indolem perpendemus, quoque accuratius sententias de eis prolatas examinabimus, eo rarius, nisi spes nos fallit, accidet, ut aut temere abiudicemus Euripidi quae haud dubie ab eo sunt profecta, aut patienter feramus quae retineri non possunt. totius autem disputationis faciam partes quatuor, ita ut primum disseram de eis versibus, in quibus interpolationis suspicio oritur vel augetur indiciis externis, deinde de eis, quos argumentis externis non accedentibus interpolatos esse existimo, tertio loco de eis, qui perperam in suspicionem vocati mihi videntur, postremo de eis, qui ex Hippolyto priore interpolati esse putati sunt. atque ita semper disputare studebo, ut a certioribus progrediar ad ea, quae sunt minus manifesta.

I.

De versibus propter externa argumenta suspectis.

Proficiscendum videtur, ut semper in talibus quaestionibus, ab argumentis externis. quorum sunt varia apud Euripidem genera. primum enim sunt versus, quos ab *histrionibus* insertos esse *veteres grammatici* certo testati sunt.

---

[1]) cf. Kirchhoff, die Compos. der Odyssee p. 201.

(cf. scholl. ad Andr. 6, Med. 356 et 379)[1]) deinde interdum adnotant scholiastae, versus aliquos in nonnullis *veteribus* manuscriptis non lectos esse. tertium indicium in eo positum esse potest, quod versus in uno vel in compluribus *nostrorum* codicum non exstant, quartum in *repetitione* versuum. grammaticorum quidem adnotationes, quales primo loco commemoravi, in Hippolyti scholiis non inveniuntur. sed reliquorum interpolationis indiciorum exemplis haec fabula non caret. de eis igitur versibus, in quibus occurrunt, nunc mihi deinceps erit disputandum.

Unum antea commemorandum est. nonnulli et maxime Hirzelius in libello supra citato etiam ex laesa trimetrorum *symmetria* de interpolatione coniecturam faciendam esse putaverunt. sed cavendum est, ne huic rei nimis ponderis tribuatur. etsi enim nonnunquam partium quaedam aequabilitas in diverbiis Euripideis apparet, tamen semper poetam severis responsionis legibus se addixisse demonstrari non potest[2]), sed e contrario satis multa in omnibus tragoediis inveniuntur diverbia, quae ad certas numerorum rationes adstringi nequeunt. iam vides, quam lubrica haec tota res sit. paullo plus autem symmetrica ratio valere videtur ad versus retinendos, quam ad delendos. ego enim sic statuo, ut diffidendum quidem existimem eis athetesibus, quibus aperta numerorum concinnitas alicuius loci turbatur, sed nullum versum ob id solum delendum censeam, ut alicui loco symmetria, quae per se non adest, inculcetur. in singulis autem locis tractandis, ubi opus erit, etiam symmetriae habebo rationem.

§ 1.

Nunc adgredior ad eos versus Hippolyti, quos in nonnullis codicibus, qui nostris vetustiores erant, non inventos

---

[1]) alios versus veteres grammatici interpolatos esse suo Marte suspicati sunt. (cf. scholl. ad. Or. 640, 41, 1366. Phoen. 428. Rhes 41). sed mera suspicio eorum non magni aestimanda est, id quod maxime docent nugae in schol. ad Or. 1366 prolatae, quas miror Cobeto (Nov. Lect. p. 297) esse probatas.

[2]) ipse Hirzelius p. 89. sibi demonstrasse videtur tantummodo „haud raro (igitur non semper) Euripidem trimetros ad certas numerorum rationes disposuisse“.

v. 1050 esse ex scholiis cognoscimus. atque ad v. 1050[1]) quidem *μισθὸς γὰρ οὗτός ἐστιν ἀνδρὶ δυσσεβεῖ* in cod. a (Paris. 2713)[2]) legitur hoc scholium: *μισθός· ἐν πολλοῖς* (sc. *ἀντιγράφοις*) *οὐ φέρεται οὗτος ὁ ἴαμβος*, ex quo elucet, a compluribus certe libris hunc versum olim abfuisse. quo ipsa re suspicio oritur, eum esse interpolatum, praesertim cum plerosque versus, de quibus talia testimonia habemus, spurios esse certis argumentis possit convinci (Alc. 817—19, Andr. 1254, Or. 1394, Phoen. 1075, Phoen. 1225, Phoen. 1282), quamquam sunt quoque, qui retinendi esse videntur (Or. 957—59, Or. 1067, Or. 1229, Phoen. 375). neque desunt aliae difficultates. primum obstat, quod totus hic versus ad similitudinem versus 1047 videtur esse confictus atque adeo in eadem verba exit. plerumque quidem apud Euripidem eadem vocabula singula brevi intervallo intermisso iterata habent excusationem[3]), sed nostro loco repetitio verborum *ἀνδρί δυσσεβεῖ* mihi utique molesta videtur. atque etiam librariis eam molestam fuisse efficitur ex eo, quod in nonnullis codicibus pro *δυσσεβεῖ* scriptum est *δυστυχεῖ*. neque id fortasse est nullius momenti, quod Theseus, si diceret hominum improborum poenam esse exsilium, se quoque significaret esse *ἄνδρα δυσσεβῆ*. ipse enim tum erat exsul. cf. v. 34—37. adde quod etiam v. antecedens, de quo infra dicam, spurius habendus est. iure igitur v. 1050. a Nauckio, quem secuti sunt Kirchhoffius et Weilius, damnatum esse existimo.

v. 866—73 Ad. v. 871 in eodem codice a hoc scholium adscriptum est: *ἔν τισιν οὐ φέρονται οὗτοι*. unde Nauckius et Kirchhoffius (in editione minore 1867) damnant v. 871—73, Bartholdus (Philol. 36 p. 565) v. 866—70. per se quidem licet adnotationem illam et at illos et at hos referre. cf. Nauck. Eur. stud. II p. 77. veruntamen fateor, mihi dubitationem relinqui, num omnino interpolatio hic statuenda sit. interna enim argumenta frustra circumspicio. sane quidem si omnes reliqui loci, ad quos huiusmodi adnotationes in scholiis ad-

---

1) numeris utor editionis Nauckianae.

2) in codicibus designandis sequor Kirchhoffium.

3) cf. L. a Sybel „de repetitionibus verborum in fabulis Euripideis" diss. Bonn. 1868.

scriptae sunt, revera essent subditicii[1]), ipsa ratione cogeremur alterutram partem sermonis v. 866—73 interpolatori tribuere. cum vero quatuor loci supra adlati ex illorum numero genuini esse videantur, auctoritas istius scholii aliquantum imminuitur. ac ne illud quidem neglegendum est, quod ibi non legitur *ἐν πολλοῖς*, ut plerumque in talibus scholiis, sed tantum *ἔν τισιν*. potuisse autem etiam in perantiquis libris versus casu omitti nemo negabit.

Iam internis argumentis v. 871—73 hinc esse alienos demonstrari non potest. Bartholdus quidem v. 866—70 et 871—73 inter se non convenire adfirmat, sed non recte. chorus enim postquam sollicitudinem et dolorem expressit (v. 866—70), apte precatur a deo (cf. v. 522), ut nova mala prohibeat. atque saepius in eiusdem personae sermone trimetri subiciuntur versibus dochmiacis. cf. Hippol. 883—90 et El. 1169—76. repetitio autem verborum *δόμοις* et *κακόν* in fine versuum dari potest librariorum errori. neque ea mihi probantur, quibus Bartholdus v. 866—70 spurios esse ostendere studuit. primum ait chorum futurum malum non posse deplorare quasi *κρανθέν*. at hoc verbo chorus non novum malum significat, sed id ipsum, quod iam confectum erat, i. e. Phaedrae mortem. quod quinque versus dochmiacos longiores putat, quam ut apte interea Theseus epistolam Phaedrae legat, commemorasse satis habeo. neque in eo haerendum est, quod v. 868 fere idem dicitur atque v. 821. nam saepe apud Euripidem etiam in eadem tragoedia eaedem recurrunt sententiae. cf. v. 600 et 715; 615 et 1434; 831—33 et 1379—81; 810, 839, 846, 878; 855, 857, 866, 873, 874, 881, 1160. sed si verba *ἀβίοτος βίου τύχα* de ipsa morte intellegi nequeunt, v. 868 aut 867 corruptum censere debebimus.

His expositis apparet, ex ipsa versuum indole causam repeti non posse, cur aut v. 866—70, aut v. 871—73 reiciantur. quamquam concedo, fortasse illo scholio indicari, nonnullos versus hoc loco esse subditicios. quod si quid

---

[1]) hoc statuit Wecklein. l. l. p. 354. verum non omnes locos enumeravit, sed omisit Or. 1394, 957—59, 1067, 1229.

delendum est, mea quidem sententia probabilius delentur v. 871—73, quam ei, qui praecedunt. v. 866 autem, ut numerus dochmiacus restituatur, forsitan legendum sit *τί, φεῦ φεῦ, τόδ' αὖ;*[1]) nam *φεῦ* a poetis tragicis non semper in initio enuntiatorum collocatur, sed etiam mediis interponitur. cf. Aesch. Ag. 1143, 1483, Cho. 396, Eum. 781, 837, 839, Eurip. Med. 358, Hipp. 870.

§ 2.

Transeo ad eos locos, qui in nonnullis *nostrorum* codicum non exstant. nihil quidem valet, quod complures versus in deterioribus libris omittuntur.[2]) gravius est si qui in bonis libris desunt. ac de his solis nos agemus.

Luculentissimum interpolationis exemplum praebet

v.825 v. 825 *ἐκλύεθ' ἁρμούς, ὡς ἴδω πικρὰν θέαν,*

qui cum absit ab omnibus bonis codicibus et exstare videatur in uno d, omnino futili nititur auctoritate. nunc omnes editores, secuti Musgravium, eum omittunt. et recte quidem. est enim male repetitus e v. 809. atque conexus sententiarum et ratio antistrophica huius loci, ex qua duodecim versus 817—31 ita respondent versibus 836—47, ut binis versibus dochmiacis subiciantur bini trimetri iambici, subditum eum esse coarguunt. videtur autem quasi diversa lectio versus 809, de quo infra dicendum erit, in ima pagina, cuius ultimus erat v. 824, adnotatus atque inde librarii errore, in ipsum textum post v. 824 receptus esse.

v.691 v. 691 *ἐρεῖ δὲ Πιτθεῖ τῷ γέροντι συμφοράς*

non exstat in cod. Paris E. quamobrem Brunckius eum delevit, simul eo offensus, quod Pitthei mentio sit frigide iniecta et vox *συμφοραί* valde impropria. eum secuti sunt fere omnes editores. sed ne Pittheo quoque, qui erat rex Troezenis, ubi totum drama agitur, et Hippolytum, cuius erat proavus, educaverat (cf. v. 11, 25, 794), ne huic quoque

---

[1]) Nauck. olim *φεῦφεῦ τοῦτο δ' αὖ*. Weil. *φεῦφεῦ ὡς τόδ' αὖ*.

[2]) desunt in b: v. 220, 337 et 38, 940, 1084—87, in b et c: 938, in Palatin. *B.*: 189, 1356, 1364, in Pal. *B* et Flor. *C*: 649. qui minime sunt suspecti.

Hippolytus rem indicet, eo aptius timet Phaedra, quod ipse Theseus tum non erat Troezene (cf. v. 281 et 659). dices, cum maius malum Phaedrae accidere non possit, quam si Theseus impudentiam eius cognoscat, id ipsum esse molestum, quod Pittheus commemoretur non ante Theseum, sed postea. at v. 691 post v. 690 non magis friget quam v. 692. atque ei affectui, quo animus Phaedrae commovetur, prorsus convenire videtur, quod primum ponit id quod maxime timet sc. ne Theseus rem cognascat (v. 690), deinde ei alterum et ipsum satis grave in mentem venit, quod non quidem tam grave quam illud, sed prius eventurum esse ei videtur, sc. ut Pittheo Hippolytus rem patefaciat (v. 691), tum addit id quod ad famam eius universam pertinet (v. 692). molestias paravit etiam vox *συμφοράς*. ac recte quidem Matthiaeus ait eam de nutricis conatu Hippolyti ad adulterium pelliciendi (*σὰς ἁμαρτίας*) dici valde improprie. neque omnino calamitatem Phaedrae (ut v. 596) aut Hippolyti (cf. Witzschel.) hic potest significare. sed quidni eam interpretemur non „fortunam adversam", sed simpliciter „fortunam" vel „exitum rerum" vel *„id quod accidit"* universe? sic enim prorsus apta esse videtur. principalis autem haec vocis *συμφορά* significatio comparet etiam Aesch. Eum. 1020, Cho. 1064, Soph. Oed. R. 33, El. 1230, Eurip. Alc. 1155, Hel. 457 et 642, Hipp. 1255 et 1267, Ion. 536 et 587. neque in eo offendendum, quod *συμφοράς* est nude positum. articulus enim apud tragicos ne certis quidem rebus designandis necessarius est, sed saepe omittitur. cf. Ellendti lexicon Sophocleum cur. Genthe p. 492 ss. atque ipsa vox *συμφορά* articulo caret Aesch. Eum. 897, Soph. El. 1230, Oed. C. 255, Trach. 325 et 1145, Eurip. Alc. 754, Hipp. 990 etc. argumenta igitur adlata non videntur esse idonea. neque quod v. 691 in bono codice deest, per se sufficit ad eum delendum, praesertim cum optimi codices A et B eum exhibeant. atque etiam in bonis libris interdum mero librariorum errore versus omissos esse constat.[1]) praeterea quod

---

[1]) velut in praestantissimo cod. A desunt Phoen. 1185 et 1379 et in eodem illo cod. E Or. 695, quos nemo in suspicionem vocabit.

v. 691 omissus est in Paris. E a librario, facillime eo explicatur, quod per epanaphoram, quam saepius Euripides usurpat,[1]) eodem verbo (ἐρεῖ) incipit atque versus antecedens. neque ex symmetrica ratione eum spurium esse effici potest. cf. Hirzel. p. 10 et Weil. ad v. 730. nam etsi non negaverim, consilio a poeta institutum esse, ut numerus versuum 695—701, 706—12, 715—21 sit septenarius, versuum 702 s., 704 s., 713 s. binarius, tamen ut putem, in sermone Phaedrae v. 682—94 componendo Euripidem aequabilitati membrorum studuisse, a me impetrare non possum.

§ 3.

Veniant nunc in censum ei versus, qui ob repetitionem suspecti sunt. sed ut via ac ratione procedat disputatio, pauca in universum de hoc genere dicenda videntur.[2])

Repetuntur in fabulis Euripideis saepius versus aut prorsus eisdem aut similibus verbis. nec vero putandus est poeta hunc vel illum versum de se ipso propterea mutuatus esse, quod novum fingere aut non posset aut propter inertiam nollet. sed duplici modo versus repetitos esse statuendum est, *aut* certa ratione et consilio perspicuo, ita ut poeta repetitionem ab auditoribus vel lectoribus animadverti vellet, *aut* casu atque fortuito, ita ut inscius in eadem incideret verba, quod fere fit in sententiis vulgaribus atque usitatis, quae ut saepius adhibentur, ita paene necessario eisdem efferuntur verbis. quare si neque consilium poetae aperte perspicitur, neque repetitio in certa dicendi formula vel in trita sententia occurrit, iure oritur interpolationis suspicio. quamquam, nisi alia argumenta accedunt, sola repetitione plerumque non debemus moveri, ut versum eiciamus. consulto autem atque ita, ut statim animadvertatur, repetitionem

---

[1]) exempla adpono haec: Heraclid. 766 s., Suppl. 589 s., 1139 s., Hipp. 453 s., 462 ss., frgt. 1045 N.

[2]) disputaverunt de hac re post Firnhaberum P. Wesener „de repetitione versuum in fabulis Euripideis“ diss. Bonn. 1866 et P. Treplin „de repetitis apud Euripidem versibus“ progr. gymn. Schrimm 1866, ille probabiliter, hic ita ut eius opinio saepe probari non possit.

institui tantum in eadem fabula et sic quoque perraro, fortuito poetam uti eisdem verbis maxime in diversis fabulis, non opus est exponere. quare si qui versus in eadem tragoedia repetuntur, etiam magis offendit, quam si in diversis.

Hac ratione proposita iam iudicare poterimus de singulis in Hippolyto repetitionibus, utrum ferendae sint, necne. ex re autem esse duxi, adferre non solum eas, quae suspectae sunt, sed omnes, quas inveni. sic enim usus Euripidis optime illustrabitur.

§ 3 *a*.

Primum adscribam eos versus vel versuum partes, quae in ipsa fabula iterantur. sine dubio *ultro* se bis offerebant poetae verba *ἔκ τοι πέπληγμαι* v. 342 et 934 et hae versuum clausulae:

τερμόνων τ' Ἀτλαντικῶν v. 3 et 1053
Ἄρτεμιν Διὸς κόρην v. 15 et 713
πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω v. 113 et 1059
συγχωρεῖν λόγοις v. 299 et 703
ὢ τάλας ἐγώ v. 875 et 1090
ὦ κάκιστε σύ v. 959 et 1316.

consilio autem factum videtur, ut verba *δέσποινα ποντία Κύπρι* legantur v. 415 et 522 (animadvertit hoc Wilamowitz. Anal. Eurip. p. 214),

ut versus 1321

ὃς οὔτε πίστιν οὔτε μάντεων ὄπα
ἔμεινας, οὐκ ἤλεγξας

similis sit versui 1055

οὐδ' ὅρκον οὐδὲ πίστιν οὐδὲ μάντεων
φήμας ἐλέγξας,

ut similes sint v. 846

οὐ τλητὸν οὐδὲ ῥητόν

et v. 875 *οὐ τλητὸν οὐδὲ λεκτόν* —

versum 875 aliam ob causam delevit Wilamow. p. 220, sed immerito —. denique verba *εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ* vel ter repetuntur intra spatium centum et sexaginta versuum:

v. 1031, 1075, 1191, quod non potest non factum esse consulto; videtur autem adhuc fugisse interpretes.

v. 1419 His similitudinibus, quae non offendunt, adnumerare non dubito eam, quae intercedit inter

v. 1419 *σῆς εὐσεβείας κἀγαθῆς φρενὸς χάριν*

et v. 1454 *ὤμοι φρενὸς σῆς εὐσεβοῦς τε κἀγαθῆς,*

etsi priorem ut confictum e v. 1454 suspectum habuit Valckenarius et delent Dindorfius, Nauckius, Kirchhoffius (ed. II). nam neque similitudo est gravis, neque aliud argumentum accedit. ceterum uterque legitur in Christo patiente, ille v. 822, posterior v. 801, quamquam hoc leve est.

v. 1049 Offendit autem quod v. 898

ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσει βίον

una littera addita (*ἀντλήσεις*) legitur etiam v. 1049. quamobrem hunc expunxit Bergkius. si modo Euripides utrumque versum scripsit, consulto eum eadem verba Theseo bi tribuisse censeamus necesse est. atqui neque auditores in tellexisse putandi sunt, quodnam consilium secutus hoc fecerit neque nos ullam causam repetitionis invenimus. est igitur quod altero loco versum interpolatum esse suspicemur. iam post v. 897 quidem verba *ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσει βίον* sunt necessaria. altero autem loco versu 1049 omnino possumus carere. ad *ἀλητεύων* enim ex antecedentibus facillime suppletur *θανεῖ*. quod eo aptius est, quod cum antea dictum sit *οὐχ οὕτω θανεῖ, ὥσπερ σὺ σαυτῷ τόνδε προύθηκας νόμον*, desideratur, ut sequatur haec sententia: „sed *alio* modo *morieris*“, non „sed in exsilio misere *vives*“ (*ἀντλήσεις βίον*). atque origo interpolationis facile eo explicatur, quod grammaticus vel librarius ad *ἀλητεύων* verbum finitum desiderans, versum e v. 898 sumptum inseruit. recte igitur Nauckius (Eur. stud. II, 41), Kirchhoffius, Weilius delent non solum v. 1050, quem adulterinum esse supra vidimus, sed etiam v. 1049. ceterum Hirzelius p. 82 hoc comprobari putat etiam perspecto diverbii ordine.

v. 1029 v. 1029 *ἄπολις ἄοικος, φυγὰς ἀλητεύων χθόνα,*
similem versui 1048 *ἀλλ' ἐκ πατρῴας φυγὰς ἀλητεύων χθονός,* reiecit Valckenarius. quod omittitur in Christo patiente et quod *χθόνα* est ineptum, est levius (cf. Kirchh.

ed. I). sed rectissime Nauckius l. l. p. 39 animadvertit, non solum v. 1048 ineptum ac parodiae similem videri, si Theseus utatur eisdem verbis *φυγὰς ἀλητεύων χθονός*, quae antea dixerit Hippolytus, sed etiam deleto v. 1029 ipsam exsecrationem Hippolyti (v. 1028 ss.) multo fieri graviorem. addo omnino ridiculum esse, si Hippolytus, iam antea (v. 972 ss.) a Theseo exsulare iussus, ipse diceret: „exsul fiam, si quid improbe feci." dubium igitur esse non potest, quin recte editores plerique Valckenarium sint secuti. Weilius quidem v. ill. (Mus. Rhen. 32 p. 258) v. 1029 censet esse retinendum, si modo v. 1046 transponatur post v. 1048, ut versuum ordo sit hic: 1045, 47, 48, 46. sed haec transpositio, quamvis acute excogitata sit, mihi non probatur. persuasum enim mihi est, v. 1046 *ὥσπερ* etc. Theseum adludere non ad nimis remota verba Hippolyti v. 1028 ss., sed ad ea, quae modo dixerat v. 1043 *ἔκτεινά τοί σ' ἄν* etc. hoc indicant etiam vocabula *τόνδε* et *νόμον*. nam id quod v. 1043 dicit Hippolytus certe aptius *νόμος* dicitur, quam votum illud v. 1028 ss.

§ 3 *b*.

Nunc enumerabo eas versuum partes et versus integros Hippolyti, qui in aliis fabulis repetuntur. in initiis versuum leguntur:

ἀλλ' οὔτι ταύτῃ Hipp. 41 et Andr. 610
εἰς τ' αὐτὸν ἥκεις Hipp. 273, Hec. 748, Or. 1280, Tro. 684, cf. frgt. 332.
οὐ δῆθ' ἑκοῦσα γ' Hipp. 324 et Alc. 389.
ἀλλ' ὦ φίλη παῖ Hipp. 473 et Tro. 697 cf. Hipp. 82.
τί σεμνομυθεῖς Hipp. 490 et Andr. 234.
πῶς οὖν; τι δράσεις; Hipp. 598 et Hec. 876 cf. Med. 1376.
οὐκ οἶδα πλὴν ἕν Hipp. 599, Suppl. 933, Herc. f. 1143, Ion. 311, El. 627 et 752.
κραυγῆς ἀκούσας Hipp. 902 et Hec. 1109.
οὐχ ἕλξετ' αὐτὸν δμῶες Hipp. 1084 et Hec. 1282.
ὦ χαῖρε καὶ σύ Hipp. 1453, Or. 477, Heraclid. 660.
Hipp. 498 *ὦ δεινὰ λέξασ'*
et Herc. f. 1186 *ὦ δεινὰ λέξας*

Hipp. 607 *ὦ πρός σε γονάτων*
et Tro. 1042 *μή πρός σε γονάτων* cf. Med. 324 et 853
Hipp. 1403 *τρεῖς ὄντας ἡμᾶς*
et Herc. f. 474 *τρεῖς δ' ὄντας ὑμᾶς*

Exitus versuum eosdem vel similes inveni hos:

συγγνώμην ἔχειν Hipp. 117 et Or. 661

ἐγὼ θήσω καλῶς Hipp. 551, Hec. 875, Iph. Aul. 401, Or. 1664.

πρὸς τὰ νῦν πεπτωκότα Hipp. 718 et Iph. taul. 1343.

προσβλέπειν ἐναντίον Hipp. 1078, Hec. 968 (cf. 975) Heracl. 943.

ὡς εἰπεῖν ἔπος Hipp. 1161, Or. 1, Heracl. 167.

Hipp. 105 *νοῦν ἔχων ὅσον σε δεῖ*
Andr. 252 *νοῦν οὐκ ἔχων ὅσον σε δεῖ*

Hipp. 431 *ὡς ἁπανταχοῦ καλόν*
frgt. 1021 *ὡς ἁπανταχοῦ κακόν*

Hipp. 458 *συμφορᾷ νικώμενοι*
Med. 1195 *συμφορᾷ νικωμένη*

Hipp. 654 *πῶς ἂν οὖν εἴην κακός;*
Andr. 1165 *πῶς ἂν οὖν εἴη σοφός;*

Hipp. 928 *ἀνθρώπους ἔχειν*
frgt. 442, 1 *ἀνθρώποις ἔχειν*

Fere inmutati recurrunt hi versus:

Hipp. 85 *σοὶ καὶ ξύνειμι καὶ λόγοις σ' ἀμείβομαι*
et Hec. 1196 *πρὸς τόνδε δ' εἶμι καὶ λόγοις ἀμείψομαι*

Hipp. 281 *ἔκδημος ὢν γὰρ τῆσδε τυγχάνει χθονός*
et Bacch. 215 *ἔκδημος ὢν μὲν τῆσδ' ἐτύγχανον χθονός*

Hipp. 353 *οἴμοι τί λέξεις, τέκνον; ὥς μ' ἀπώλεσας*
et Med. 1310 *οἴμοι τί λέξεις; ὥς μ' ἀπώλεσας, γύναι*

cf. Hec. 511, 712, 1124, Hel. 780, Ion. 1113.

Hipp. 379 *τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν*
et Iph. T. 491 *θυσίας ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν*

Hipp. 519 *πάντ' ἂν φοβηθεῖσ' ἴσθι· δειμαίνεις δὲ τί;*
et Rhes. 80 *πάντ' ἂν φοβηθεὶς ἴσθι, δειμαίνων τόδε*

Hipp. 600 τῶν νῦν παρόντων πημάτων ἄκος μόνον
et Iph. T. 1442 τῶν νῦν παρόντων πημάτων ἀναψυχάς [1])
Hipp. 641 εἴη φρονοῦσα πλεῖον ἢ γυναῖκα χρή [2])
et Heracl. 979 καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρή
Hipp. 882 Ἱππόλυτος εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν
et El. 335 οὐπώποτ᾽ εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν
Hipp. 974 καὶ μήτ᾽ Ἀθήνας τὰς θεοδμήτους μόλῃς
et Iph. T. 1349 ὅταν δ᾽ Ἀθήνας τὰς θεοδμήτους μόλῃς

Omnes hac similitudines eo excusantur, quod aut in certis locutionibus occurrunt aut in sententiis vulgaribus, quae vix aliter exprimi poterant.

Hoc non cadit in Hipp. 79—81 v. 79—81

ὅσοις διδακτὸν μηδέν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάνθ᾽ ὁμῶς (v. l. *πάντ᾽ ἀεί*),
τούτοις δρέπεσθαι· τοῖς κακοῖσι δ᾽ οὐ θέμις,

quorum priori et alteri simillimi sunt Bacch. 315 s.:

ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ᾽ ἀεί.

atque Bacch. 316 quidem ipse sensus postulare videtur ut cum Kirchhoffio deleatur, omissus etiam a Stobaeo flor. 64, 8 III p. 61. nam si omnes mulieres, de quibus agitur illo loco, castitatem a natura haberent insitam, *nulla* bacchanalibus vitiaretur. atqui nonnullas certe vitiari Tiresias v. 318 concedit. de his igitur non dici potest *τὸ σωφρονεῖν ἔνεστιν εἰς τὰ πάντ᾽ ἀεί.* cf. Wesener l. l. p. 32 s. nec vero v. 316 eiecto emendatio mihi videtur esse perfecta. scribendum conicio *ἀλλ᾽ αὐτὶ φύσις*, quod postquam in *ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει* corruptum est, librarius verbis non intellectis ita consulere voluisse videtur, ut recordatus loci illius Hippolyti, in quo versus exibat in eadem verba, adderet versum, qui ibi se-

---

[1]) Jph. T. 1442, ab omnibus fere editoribus, quia deest in cod. Palat. deletus, recte servari videtur a Weilio.

[2]) Hipp. 641 suspectum habet Nauckius, sed non propter repetitionem. itaque non in hac disputationis parte tractandus est.

quebatur, vocabulo εἴληχεν, quod Baccharum loco non conveniebat, mutato in ἔνεστιν. totum igitur Baccharum locum sic legendum puto:

> οὐχ ὁ Διόνυσος μὴ φρονεῖν ἀναγκάσει [1])
> γυναῖκας εἰς τὴν Κύπριν, ἀλλ' αὐτὴ φύσις.
> τοῦτο σκοπεῖν χρή, καὶ γὰρ ἐν βακχεύμασιν
> οὐδ' ἥ γε σώφρων οὐ διαφθαρήσεται.

si haec recte disputata sunt, minus probabilis videbitur sententia Naucki, e contrario Hippolyti locum e Bacch. 315 s. confictum putantis l. l. p. 6. sed non ob solam repetitionem delet verba ἀλλ' — ὅμως et pro διδακτόν proponit ἄναγνον, verum etiam propter sensum. censet enim Euripidem, cum eruditionem et doctrinam magni faceret, non putandum esse dixisse, flores decerpere e sacro Dianae prato tantummodo ei licere, qui non institutione, sed natura σώφρων sit. sed agitur hoc loco non de eruditione atque ingenii conformatione, sed de solis moribus. videtur autem Euripides de vi institutionis et naturae, quas saepius opponit, non semper eandem proferre sententiam. nam Suppl. 913 contendere videtur, virtutem utique adquiri posse institutione; sed ex Hec. 592—602 et Iph. Aul. 558—62 apparet, et naturam et educationem ei videri valere ad animum virtute imbuendum. quin etiam plurimum tribuit naturae frgt. 807 N. non est igitur quod Hippolytum Euripideum τὸ σωφρονεῖν φύσει esse maius, quam διδάξει significare posse negemus, praesertim cum eadem sententia inveniatur iam apud Pindarum Ol. 9, 100 (151) et Nem. 3, 40 (70) cf. Ol. 2, 86 (154). Naucki opinioni vel id obstrepit, quod non intellegitur, cur interpolator verbum ἔνεστιν ad ὅσοις aptissimum mutaverit in εἴληχεν.

Sed nondum missum facere possumus Hippolyti locum. Dindorfius enim (Adn. ad Eur. II p. 276), cui adsentitur Bartholdus (Mus. Rhen. 31 p. 313), non solum verba repetita delet, sed v. 79—81 integros. vocem ὅσοις offendere non nego. nam λαγχάνειν passivo sensu, ut sit „contigit", a tra-

[1]) sic recte Musgravius pro eo, quod est in codicibus, οὐχ ὁ Διόνυσος σωφρονεῖν ἀναγκάσει.

gicis certe non usurpatur, sed transitive significat „sortiri“ vel „sorte accipere“.[1]) multa igitur tentarunt viri docti.[2]) verissima autem et facillima videtur coniectura Porsoni *ὅσοις* mutantis in *ὅστις*. iam Bartholdus sic argumentatur: v. 79—81 non quadrare ad veram atque simplicem explicationem eorum, qui antecedant, quadrare ad allegoricum sensum, quem veteres in versibus 73—78 inesse putaverint; iam cum dubium non sit, quin ipse poeta de sensu figurato versuum 73—78 non cogitaverit, sequi ut v. 79—81 sint ab eo alieni atque additi ab aliquo, qui allegoriam illam probaverit. sciendum est, Philochorum aliosque, quorum commenta in scholiis exstant, v. 73—78 artificiose ita interpretatos esse, ut Hippolytum dicere putarent: „tibi, Diana, carmen (*στέφανον*) offero profectum ex incorrupta mente (*ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος*), quam neque *τὸ λογιστικὸν* (*ποιμήν*) neque *πανοῦργος φιλοπραγμονία* (*σίδηρος*) tetigit, sed *Αἰδὼς* incitat ad carmina facienda (*κηπεύει δρόσοις*)“. sed haec allegoria mea quidem sententia versibus 79—81 neque continuatur neque explicatur. immo si quis interpolator alterutrum voluisset, hoc longe aliis versibus expressisset. neque persuasit mihi Bartholdus, v. 79—81 ad simplicem atque veram versuum antecedentium interpretationem non convenire. quod autem inter se opponuntur *διδακτὸν μηδέν* et *ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει*, id non nimis urgendum est. illud enim tantum per antithesin additum videtur, ut verba *ἐν τῇ φύσει* fortius efferantur. quam figuram Euripides adamavit. cf. Andr. 347, Hec. 230 et 411, Hipp. 1, Jph. Aul. 957, Med. 446, Phoen. 906. *μηδέν* autem hoc loco significat non „nihil“, sed „nequaquam“ ut Hec. 372 et 1183. nam nihil se habere *διδακτόν* Hippo-

---

[1]) e locis a Seidlero „de nonnullis locis Hippolyti Euripidei“ progr. gymn. Zittav. 1863 p. 10 ad defendendum *ὅσοις* adlatis, Hom. Od. *ι*, 161, Plat. legg. V. p. 252 *τὸ λαχὸν μέρος*, Polluc. VIII, 91 *τὸ λαχόν*, minime sequitur, Euripidem intransitive adhibuisse perfectum *εἴληχεν*.

[2]) alii *εἴληχεν* mutabant in *ἔνεστιν*. alii in *εἴληχον* vel *εἴληχαν*, quae admitti non possunt, Valckenar. proposuit *ἀλλά γ᾽ ἡ φύσις*, G. Hermann. *ἀλλ᾽ ὧν ἡ φύσις*, Schoemann. opusc. IV. p. 149 *τὸ σῶφρον εἰλήχασιν*.

lytum de se dicere non posse, elucet e v. 954. iam quominus v. 79—81 habeantur genuini, nihil videtur obstare. nam eo quod Hirzelius p. 37 observat, deletis eis parem evadere numerum versuum 73—87 et 108—120 (deleto v. 115), eos interpolatos esse non evincitur.

v. 809, 10 v. 808-10 *χαλᾶτε κλῇθρα πρόσπολοι πυλωμάτων,*
ἐκλύσαθ᾽ ἁρμούς, ὡς ἴδω δυσδαίμονα
γυναικός, ἥ με κατθανοῦσ᾽ ἀπώλεσεν.

horum priori et alteri simillimi sunt Med. 1314 s.

χαλᾶτε κλῇδας ὡς τάχιστα πρόσπολοι,
ἐκλύεθ᾽ ἁρμούς, ὡς ἴδω διπλοῦν κακόν.

priusquam ex similitudine quidquam concludamus, alia consideranda sunt. lectionem Marciani optimi (et codicum E, *B*, *C*) *ὡς ἴδω δυςδαίμονα γυναικός* sensu cassam esse apparet. quamobrem Valckenarius recepit lectionem aliorum codicum *ὡς ἴδω τὸν δαίμονα γυναικός.* sed ne haec quidem potest probari cf. Nauck. Eur. stud. II p. 34 et Lehrs. „Populaere Aufsätze" ed. II p. 192. plurimi igitur editores secuti Musgravium et Brunckium e v. interpolato 825 lectionem *πικρὰν θέαν* transtulerunt in v. 809. quae fere aptum praeberet sensum. sed recte Kirchhoffius eam recipiendam esse negavit, quia v. 825 omnino futili niteretur auctoritate. itaque Nauckius nihil relinqui existimat, nisi ut servato *δυσδαίμονα* v. 810 aut cum Kirchhoffio putetur corruptus, aut omnino removeatur. ipse hoc praefert, statuens glossam *γυναῖκα* ad *δυσδαίμονα* adscriptam postea ad versum integrum suppletam esse. sed interpolatorem *γυναῖκα* inepte mutasse in *γυναικός* non ita est probabile. praeterea *δυσδαίμονα*, deleto v. 810 nude positum pro *τὴν δυσδαίμονα γυναῖκα,* abhorrere videtur ab usu tragicorum, qui articulum, quamquam alias saepe omittunt, tamen addere solent, si adiectiva substantive ita usurpant, ut designent eis certas personas. cf. Bacch. 1126 *τοῦ δυσδαίμονος*, Hel. 117 *τὴν δύστηνον,* Hel. 1034 *τὸν ἀνόσιον*, Hipp. 39 *ἡ τάλαινα.* apparet deleto v. 810 remanere difficultatem. quamobrem sine dubitatione amplecterer Kirchhoffi sententiam atque Reiski coniectura usus sic fere scribendum putarem: *δυσδαίμονα*

τέκνʼ γυναικός, ἣ θανοῦσα μʼ ὤλεσεν

vel similiter, nisi aliam viam praeferrem. vehementer enim offendo in repetitione versuum. nam casu factum esse, ut duo deinceps versus a poeta eisdem fere verbis in tragoediis diversis repeterentur, cogitari non potest, praesertim cum voce *ἁρμός* Euripides utatur rarissime (praeter locos Hippolyti et Medeae non invenitur nisi frgt. 62, 12 et frgt. 475, 8). neque consilio possunt esse repetiti. similis igitur videtur condicio eorum, atque Alc. 207 s., quos ex Hec. 411 s. insertos esse viri docti nunc fere consentiunt. iam Med. 1314 s. deesse non possunt; sed Hipp. 809 mihi interpolatus esse videtur. similitudo singulorum versuum Hipp. 808 et Med. 1314 potest esse fortuita. nam verba *χαλᾶτε κλῇθρα* Euripides coniunxit etiam Hel. 1180 et Iph. T. 1004. v. 809 autem non est necessarius, sed remoto eo omnia se habent optime. neque enim *γυναικός* cum *πυλωμάτων* coniungere dubito. defenditur hoc his locis: Hipp. 101 *πύλαισι σαῖς*, Or. 1481 *ἐν πύλαισι Πριαμίσιν*, loco simili Aesch. Cho. 878 Ddf.

ἀλλʼ ἀνοίξατε
ὅπως τάχιστα, καὶ γυναικείους πύλας
μοχλοῖς χαλᾶτε.

originem autem interpolationis ita explico, ut locum similem Med. 1314 s. a lectore ad v. 808 adscriptum et deinde Med. 1315 e margine in textum inrepsisse existimem. sed *διπλοῦν κακόν* cum huic loco non aptum esse eluceret, a librariis varie mutatum est, ut conexui loci adcommodaretur, aut in *δυσδαίμονα*, aut in *τὸν δαίμονα*, aut in *πικρὰν θέαν*. vides varietatem scripturae sic optime explicari.

II.

De eis versibus, qui externis argumentis non accedentibus spurii putandi videntur.

v. 625 s. *νῦν δʼ εἰς δόμους μὲν πρῶτον ἄξασθαι κακὸν* v. 625–29
μέλλοντες ὄλβον δωμάτων ἐκτίνομεν

delevit Nauckius. Kirchhoffius quidem in editione priore v. 627—29 in alienam sedem inlatos iudicaverat. sed Nauck. ut v. 625 s. et v. 627—29 inter se conciliari non posse

concessit, ita non hos, sed illos esse subditicios tam certis argumentis demonstravit l. l. p. 25 ss., ut ipsi persuaderet Kirchhoffio — in ed. II. enim hic e textu removit v. 625 s. —. iam v. 627—29 omitti non posse vel eo apparet, quod sententiae v. 625 s. et 630—34 non apte opponerentur particula *αὖ*. v. 625 s. vero similem sententiam continent atque v. 633; sed hic recte is, qui duxit uxorem (*ὁ λαβών*), facultates domus profundere dicitur, priore loco absurde is, qui ducturus est (*μέλλοντες ἄξασθαι*). neque apte a v. 625 s. sententia procedit ad v. 627 *τούτῳ δὲ δῆλον ὡς γυνὴ κακὸν μέγα*. porro verba consarcinata sunt e v. 630 et 633, quo
v. 633 Valckenarius non debebat moveri, ut ipsum v. 633 haberet suspectum.[1]) tum *μέλλοντες ἄξασθαι*, quod in optimis libris legitur pro *ἄξεσθαι*, non est atticum; *ἐκτίνομεν* autem ne metro quidem satisfacit, et quod meliores libri praebent *ἐκτείνομεν* sensu caret. adde, quod *πρῶτον* non habet quo referatur. nullus igitur dubito, quin recte hi versus a Nauckio sint remoti. sequuntur eum etiam Weilius et Dindorfius (in ed. poet. scen.)

v. 115 v. 115 *φρονοῦντες οὕτως, ὡς πρέπει δούλοις λέγειν*

damnatus est a Brunckio, cui adsentiuntur Dindorfius (poet. scen.), Hirzelius p. 36, Bartholdus (Mus. Rhen. 31 p. 315). ac profecto codicum scriptura nullo modo potest expediri. nam sive ad *φρονοῦντες*, sive ad *προσευξόμεσθα* referuntur verba *οὕτως-λέγειν*, primum pro *λέγειν* requiritur *φρονεῖν* (cf. Monk.), deinde obstat *δούλοις*. an solos servos decet Venerem venerari? immo idem servus, qui hoc dicit, modo postulaverat, ut Hippolytus quoque eam coleret (v. 99—107). an servi deos peculiari quadam ratione adorant? minime. neque *νέοις* apte opponuntur *δοῦλοι*. neque *δούλοις* accipi potest pro servis Veneris, non accedante *σοῖς*. Seidlerus quidem l. l. p. 11. traditam lectionem defendit sic vertendo: „nos eo animo, quo decet verba facere servos (i. e. ita ut domini commodo semper consulant), adorabimus simulacra tua“ atque haec servum dicere putat, quia precaturus sit a Venere, ne Hippolytum puniat. cui interpretationi vel

[1]) sequitur eum Hartungus.

id repugnat, quod v. 114—16 ratio habetur servorum in *Venerem* (προσευξόμεσθα), non in *dominum* animi, et de venia Hippolyto impetranda in proximo demum agitur enuntiato, quod a priore bene distinctum est particula adversativa, (χρὴ δὲ συγγνώμην ἔχειν) quam Seidler. non recte mutare vult in σέ. scholiasta ὡς-λέγειν coniunxit cum προσευξόμεσθα. sed haec structura est etiam difficilior, quam altera, propter collocationem vocabuli οὕτως. praeterea participium φρονοῦντες sic prorsus pendere recte animadvertit Hirzelius.

Ad locum sanandum multae prolatae sunt coniecturae. omnes adferre est inutile. plerique autem, φρονοῦντες mutato in φρονοῦντας, de euphemismo sermonis cogitaverunt, velut Hartungus, qui scripsit:

φρονοῦντας ὥσπερ οὐ πρέπει δούλοις λέγειν[1]),

et Herwerdenus, qui Mnemos. IV p. 370 proposuit:

φρονοῦντας οὕτως, εἰ πρέπει δούλοις λέγειν.

alii servato nominativo φρονοῦντες, tantum τοὺς νέους γὰρ οὐ μιμητέον putantes παρενθετικῶς dicta esse, mutant verba δούλοις λέγειν, velut Reiskius in δούλοις φρονεῖν, Weilius in δούλοις θεῶν, Paleius in δούλοις λέγω. sed nulla coniectura omnes offensiones tolluntur. potius deberi videtur hic versus sciolo, cui importune in mentem venerunt loci Euripidei de servorum condicione agentes, cuius modi sunt Phoen. 392, frgt. 49, frgt. 94. omisso eo omnia sunt apta, et sex Hippolyti versibus respondent sex versus servi, quamquam *urgumentum* interpolationis hoc duci nolim.

v. 1034 s. ἐσωφρόνησε δ' οὐκ ἔχουσα σωφρονεῖν, v. 1034, 35
ἡμεῖς δ' ἔχοντες οὐ καλῶς ἐχρώμεθα.

hos versus, de quibus explicandis multum se torserunt viri docti, Nauckius p. 40 interpolatos esse censuit. cui iudicio sine dubitatione accedo, etsi Kirchhoffius et Dindorfius eos retinent.[2]) utrum dictio sit perplexior, an sententia obscu-

---

[1]) hoc recepit Bauerus.

[2]) uncis inclusit eos etiam Bauerus.

rior, non decerno. continuo molestissimum est *ἐσωφρόνησε*. nam Phaedra minime erat casta, nedum ab Hippolyto, qui impudicitiam eius modo expertus erat, casta vocari possit. neque verti potest *ἐσωφρόνησε* per „casta existimata est“ (Heath.) aut „speciem castitatis servavit“ (Fix. cf. Hartung.). iam quid significant verba *οὐκ ἔχουσα σωφρονεῖν*? nimirum Phaedram non potuisse castam esse. at cur non poterat et unde eam non potuisse scit Hippolytus? et cur haec verba quasi contrarium accedunt ad *ἐσωφρόνησε*? quid porro sibi volunt verba *οὐ καλῶς ἐχρώμεθα*? supplendum videtur *τῷ σωφρονεῖν*. sed ubi Hippolytus castitate non bene usus est? inepte has offensiones duo scholiastae ita expediendas arbitrantur, ut post *ἐχρώμεθα* ponatur interrogationis signum. neque aptius quam „castum esse“ *ἐσωφρόνησε* et *σωφρονεῖν* h. l. significant, id quod Nauckius non tetigit, „prudentem esse“. neque enim haec explicatio potest probari: „illa quidem, cum non pudica esset, prudenter tamen egit, sc. quod me calumniata est, contra ego, cum essem pudicus, prudentia minime valui, sc. quod iure iurando me obstringi passus in summam me adduxi calamitatem“ (cf. schol. tertium ad v. 1034 et Musgrav. et Valcken.). maxime obstat, quod verbum *σωφρονεῖν* sic duplici sensu usurparetur. sane Euripides admodum delectatur huiusmodi oxymoris: Bacch. 332 *φρονῶν οὐδὲν φρονεῖς*, Troad. 1232 *θανεῖ γὰρ οὐ θανοῦσα*, Alc. 352, Phoen. 272 et 357 (cf. Aristoph. Acharn. 395 ss.). attamen in his verbum non omnino diversam significationem induit, sed tantummodo negatur. neque solum ambigua essent verba, id quod nonnulli huic loco aptum esse putaverunt, sed etiam caliginosa, ut ita dicam, atque inepta. accedit quod pro *οὐκ ἔχουσα σωφρονεῖν* desideratur *οὐκ οὖσα σώφρων* vel saltem *οὐκ ἔχουσα τὸ σωφρονεῖν*, et pro *ἔχοντες σωφρονεῖν*: *ὄντες σώφρονες*. neque enim id refert hoc loco, num *possint* esse pudici, sed num *sint*. quid plura? quoquo nos vertimus, aptus sensus ex his versibus extorqueri non potest. nec probabilis est coniectura Weili legendum suspicantis:

ἐσωφρόνησε δ᾽ οὐκ ἔχουσ᾽ ἀσωφρονεῖν,
ἡμεῖς δ᾽ ἔχοντες οὐ κακῶς ἐχρώμεθα.

„Phèdre fut chaste, n'ayant pas eu l'occasion de manquer à la chasteté; moi, qui l'eus, je n'en ai pas abusé.“ nam *ἀσωφρονεῖν* pro *ἀφρονεῖν* apud nullum scriptorem graecum legitur, ad *οὐ κακῶς ἐχρώμεθα* non potest suppleri occasionis notio antea non diserte expressa, denique verba *ἔχειν ἀσωφρονεῖν* significant non tam *occasionem*, quam *causam* peccandi habere.

Rectissime igitur Nauckius versus contortos emendatione sanandos esse negavit. insiticios autem eos eo magis censebimus, quod antecedit v. 1033 *ἐμοὶ γὰρ οὐ θέμις πέρα λέγειν.* ac profecto, si modo Hippolytus iusiurandum vult conservare, id quod revera facit, eum ne ambigue quidem rem, quam celaturus est, indicare est consentaneum. videtur autem inficetus histrio vel grammaticus, orationem Hippolyti versu 1033 nimis ieiune concludi ratus, quasi salsam, si dis placet, clausulam addidisse hos versus, quibus nos divinamus magis quam perspicimus, eum aut in ambigua significatione verbi *σωφρονεῖν* ludere, aut dicere voluisse fere haec: Phaedra casta fuit, quod adulterium revera non commisit, etsi in animo pudicitiam non habebat (*σωφρονεῖν* inepte positum pro *τὸ σωφρονεῖν*); ego etsi eram casto animo, castitatem non prudenter exercui, quod iuravi.

v. 970. *τὸ δ' ἄρσεν αὐτοὺς ὠφελεῖ προσκείμενον* v. 670

spurium censuit Hirzelius p. 79, cuius iudicium probaverunt Nauckius in adnot. crit. ed. III et Weilius. verba videntur significare: prodest eis virilitas adiuncta. egregiam hercle sententiam atque ab hoc loco prorsus alienam! nam cum Theseus exponat, viros a Venere non esse tutiores quam mulieres, sed aeque libidini obnoxios, contraria potius requiritur sententia, hunc fere in modum: virilis atque fortis animus viros a libidine non defendit. scholiasta versum sic explicat: *συγγνώμην αὐτοῖς παρέχει τὸ ἄνδρας εἶναι ἐν ἁμαρτίαις.* quasi vero *ὠφελεῖ* possit valere *συγγνώμην ἔχει.* neque iniuria eo offendit Hirzelius, quod ad *τὸ ἄρσεν* accedit *προσκείμενον.* reliqui enim loci, ubi res cum aliquo iunctae, velut *κακόν, πῆμα, χάρις, γέρας,* dicuntur *προσκεῖσθαί τινι,* videntur esse diversi. praeterea *τὸ ἄρσεν*, sive addito *γένος,*

sive nude positum, non dici videtur nisi sensu collectivo de universa multitudine virorum. cf. Aesch. Eum. 737, Eurip. frgt. 320, 3. certe nullum locum inveni, ubi ut hic significet sexum masculum vel ipsam virilitatem. admodum igitur probabilis videtur sententia Hirzeli, v. 970 esse additum a lectore. deleto eo numerorum quandam aequabilitatem apparere negari non potest. tota enim Thesei oratio v. 936—80 in quatuor partes ad hoc schema possit distribui: 10. 12. 12. 10, quarum partium tertia ex tribus membris quaternariis constat secundum sententiam distinctis.

Praeter hos locos, quos interpolatos esse pro certo habeo, unum vel alterum interpolamentum in Hippolyto inesse non omnino negaverim. sed ut nunc res est, nullum versum addere possum, quem sine ulla dubitatione omittendum esse existimem, praeter v. 32 s., de quibus in fine disputationis agendum erit. nam quae de aliis versibus prolatae sunt suspiciones, eae aut videntur improbabiles, aut certis argumentis possunt refelli. iam ad singulos locos defendendos adcingar.

III.

De eis locis, qui inmerito in suspicionem vocati videntur.

Primum tractabo eos locos, qui merito offensionem praebuerunt viris doctis, verum non delendi videntur, sed coniecturis sananda, deinde eos, qui expediendi sunt apta interpretatione.

§ 1.

v. 468—70 v. 468—70. *οὐδὲ στέγην γὰρ ἧς κατηρεφεῖς δόμοι*
καλῶς ἀκριβώσειαν· εἰς δὲ τὴν τύχην
πεσοῦσ᾽ ὅσην σὺ πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς;

deleri iussit Bartholdus Mus. Rhen. 31 p. 325 ss. atque in verbis quidem *οὐδὲ- ἀκριβώσειαν* offendunt omnes. namque ad optativum *ἀκριβώσειαν* requiritur *ἂν* [1]), *κατηρεφής*, si

[1]) cf. etiam Wolff. Mus. Rhen. 18 p. 602 ss.

significat „tectum" vel „opertum", coniungi solet cum dativo, verba ἧς κατρεφεῖς δόμοι sunt inania atque supervacanea. Bartholdus duo argumenta addidit. haeret enim in eo, quod tecti potissimum coagmentatio dicatur esse difficilis, et desiderat, ut ad ἀκριβώσειαν accedat verbum τέκτονες. sed neutrum multum valet. nam poetarum est, singularem aliquam partem ponere pro tota re, quam intellegunt (velut tectum pro domo), et ad ἀκριβώσειαν e. v. 467 apte suppletur βροτοί. eae autem difficultates, quas primum commemoravi, remanent. iam recte Bartholdus refutat coniecturas Valckenari κανὼν ἀκριβώσει' ἄν, Musgravi καλῶς ἀκριβοῦσ' αἰέν, Hartungi ἢ κατηρεφεῖς δόμους. quod autem ipse verba spuria putat, non potest probari. quam multi enim veterum scriptorum loci desperati e texto essent removendi, si corruptelae gravitas esset interpolationis indicium! mihi verba retinenda videntur. nam sententia neque a more Euripidis, qui saepius quae in universum dicuntur illustrat exemplis e communi vita petitis (cf. exemplum agri Hec. 592), neque ab hoc loco abhorret. ceterum apte Paleius comparat Aristot. Eth. 1, 3 τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον, ὥσπερ οὐδὲ ἐν τοῖς δημιουργουμένοις. Reiski, Marklandi, Bothi coniecturas omitto. sed ne Kirchhoffi quidem v. ill. proponentis οὐδ' ἂν στέγην γὰρ εἰς κατηρεφοῦς δόμου καλῶς ἀκριβώσειαν, aut Seidleri l. l. p. 21 δόμοι mutantis in δοκοί verae videntur. nam εἰς non aptum est, quia sensus totius loci postulat, ut οὐδέ referatur ad στέγην aut ad δόμοι. neque verba στέγην ἧς κατηρεφεῖς δοκοί „tectum, cuius trabes contectae sunt" (sic ipse vertit Seidlerus) aptum sensum praebent, etsi a scholiasta aliquo δοκοί lectum esse putamus. saltem scribendum erat στέγην ἣ κατηρεφὴς δοκοῖς. neque enim trabes sunt κατηρεφεῖς, sed ipsa domus. unde Weilius proposuit στέγην εὖ κατερεφῆ δοκοῖς. sed neque εὖ est aptum, et vocabulum δόμος erit retinendum. mihi scribendum videtur aut

οὐδὲ στέγην γὰρ ἂν κατηρεφοῦς δόμου
καλῶς ἀκριβώσειαν

aut οὐδὲ στέγη γὰρ ἂν κατηρεφεῖς δόμους κ. ἀκρ.

praefero autem hoc.[1]) ita omnes offensiones tolluntur et origo corruptelae facile explicatur. postquam enim στέγη propter collocationem transiit in στέγην, librarius verba sequentia ἂν κατηρεφεῖς δόμους animadvertens non iuncta esse cum στέγην, mutavit in ἧς κατηρεφεῖς δόμοι.

Cur verba εἰς δὲ τὴν τύχην πεσοῦσ' ὅσην σὺ πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς;

delenda sint, Bartholdus tres adfert causas. primum offendit, quod eadem e malis quasi e fluctibus enatandi metophora recurrat v. 822—24, ibique multo plenius atque pulchrius depicta. sed repetitio sententiae non molesta est, et verbum ἐκνέω saepius significat „evadere", metaphora aliis verbis non indicata. cf. Cycl. 577. deinde ad τύχην ait vitiose accedere articulum, cum sequatur ὅσην. rectissime. sed difficultas emendatione tollenda est. Gomperzius quidem proposuit εἰς κλύδωνα δὲ πεσοῦσ' ὅσον σύ, sed simplicius loco succurrere mihi videor scribendo:

εἰς δὲ τὴν τύχην πεσοῦσ', ἐς ἥν σu sc. πέπτωκας.

namque ἐς in secunda thesi trimetri saepe occurrit apud Euripidem cf. Alc. 680, Andr. 48, Bacch. 1073, Hipp. 25 et 829 Med. 265 etc. denique Bartholdus putat, nutricem, ut Phaedram ad amorem satiandum incitet, non posse dicere: „quomodo ex hac tanta calamitate te salvam evasuram esse speras sc. sine castitatis tuae quodam detrimento?", quoniam Phaedra se evadere non posse dudum intellexerit et ob id ipsum mori constituerit. species huius argumenti evanescet, si totius loci indolem accurate consideraverimus. insanam esse nutricem, si, ut Phaedram ad amorem incitaret, absque virtutis detrimento hoc fieri non posse *ultro* demonstraret, concedo. sed ut *ultro* hoc proferat tantum abest, ut ad id solum spectet, quod antea *ipsa Phaedra*, ne castitatem laederet, sibi moriendum esse exposuerat (cf. v. 400, 403, 420, 430). hoc igitur nutrix v. 462—72 ita refellere studet,

[1]) ἂν pro ἧς restituit etiam Gomperz. in „Sitzungsber. d. Acad. d. W. zu Wien" 1875 tom. 80 p. 751 s., cui tamen scribenti οὐδὲ στέγην γὰρ ἂν κατηρεφῆ δοκοῖς κανὼν ἀκριβώσειεν adsentiri non possum.

ut dicat, in amoribus interdum esse conivendum (v. 462—66), nec debere omnino homines elaborare in vita nimis severe atque subtiliter agenda (v. 467—72). quae sequuntur sic procedunt: nam ne in domo quidem aedificanda singula accurate examinantur; multo autem minus, si ex ea calamitate evadendum est, in quam tu incidisti, — nam de morte voluntaria ne cogitari quidem debet — effici potest, ut omnia fiant *ἀκριβῶς* i. e. ad virtutis normam; immo vero acquiescendum est hominibus, si plura bene se habent quam male. in hoc sententiarum progressu verba *εἰς δέδοκεῖς* apte se habere apparet.[1]) quin etiam necessaria sunt, si modo *οὐδέ — ἀκριβώσειαν* genuina esse putamus, nam *οὐδέ* docet, his verbis per gradationem ad maius opponi debere alia. eadem autem illa argumentatione usus Bartholdus posset delere etiam v. 472 s.; ibi enim nutrix aperte concedit, in eo facto, ad quod Phaedram pertractura est, inesse quae non sint *χρηστά*. v. 468—70 esse retinendos, fortasse etiam eo comprobatur, quod haec tota oratio si qua ad symmetriam est composita. nam si sententiae singulae accurate discernuntur, ultro emergit hoc schema: 4. 6. 8. 8. 8. 6. 4. 5. neque omnino apparet, qua tandem causa aliquis moveri potuerit, ut hos versus interpolaret.

v. 42 *δείξω δὲ Θησεῖ πρᾶγμα κἀκφανήσεται* v. 42

spurium habuit vir mihi veneratissimus Hillerus quaest. Herodian. Bonn. 1866 append. ac profecto repugnat ipsi huius tragoediae argumento. nam in ipso dramate non Venus Phaedrae in Hippolytum amorem Theseo patefacit, sed Diana (cf. v. 1301 ss.). Veneris, cum Hippolytum velit pessumdare, e contrario quam maxime interest, ne Theseus verum cognoscat. accedit alia difficultas. versui enim 42 sequentes per *καί* ita adnectuntur, ut ille aut causam mortis Hippolyti, quae praedicitur v. 43 ss., aut certe id, quod

---

[1]) Seidlero p. 21 pro *πῶς* sublata interrogatione scribenti *πώς* nemo adstipulabitur.

tempore praecessit, continere videatur. Hartungus igitur vertit:

> „Theseus erfährt die Sache jetzt, sie wird bekannt!
> Dann wird den Jüngling, der mir trotzt, der Vater selbst
> Mit Flüchen tödten.“

sed ut hoc verum sit tantum abest, ut Theseus Hippolytum multo *ante* exsecrationibus perdat (s. 887 ss.), quam Phaedrae amorem et quid omnino rei sit comperiat (v. 1031 ss.). neque igitur dubium est, quin v. 42 ita ut traditus est ferri non possit. Kirchhoffius coniecit *δείξει δὲ Θησεῖ πρᾶγμα*, eo haud dubie referens haec verba, quod Phaedra litteris ad Theseum datis Hippolytum calumniatur (v. 865—86), quasi ipsi vim adferre voluerit. sed *πρᾶγμα* hic non potest intellegi de conatu illo Hippolyti a Phaedra conficto, sed significat ipsum Phaedrae amorem (*τόνδ᾽ ἔρωτα* v. 41), de quo usque ad v. 42 Venus multa fuit. Weilius autem in addendis editionis proposuit *δῆλον δὲ θήσω πρᾶγμα*, intellegens haec verba, ni fallor, de amore Phaedrae aperiendo non Theseo, sed nutrici, choro, maxime ipsi Hippolyto. haec sententia ad conexum totius loci bene quadraret. v. 39 s. enim, quibus dictum est, Phaedram amorem suum etiamtum occultare, sic non carent iusta oppositione. quin etiam paene desideraretur illa sententia, si v. 42 abesset. etenim cum Venus in hoc prologo argumentum ipsius fabulae summatim praenuntiet, sane mirum esset, si mentionem quidem faceret taciti amoris Phaedrae (s. 39 s.), mortis Phaedrae (v. 47 s.), interitus Hippolyti (v. 43—46), id autem, in quo summum totius actionis momentum positum est, sc. quod amor Phaedrae ad Hippolytum defertur, ne leviter quidem tangeret. qua observatione maxime moveor, ut malim sequi Weili rationem. quamquam cur *θήσω* scripserit, non video. potius vera scriptura videtur *ΘΗΣΕΙ*, significans *θήσει*, sed a librario satis proclivi errore scripta *Θησεῖ*. in initio autem versus locum habuisse videtur adiectivum cum *θήσει* unam notionem faciens.[1]) quod id fue-

---

[1]) saepe Euripides verbo *τιθέναι* praedicative adiungit adiectiva cf. Andr. 33, Hec. 721, 869, 1156, Hel. 1430, Cycl. 673.

rit, in medio relinquo; satis probabile autem est Weili *δῆλον*, quod, scriptura *Θησεῖ* semel admissa, ut sensui consuleretur, facile corrigi poterat in *δείξω*. ipse quidem Weilius postea scribendum putavit *δεῖξαι δεήσει* (Revue critique 1876 I, p. 207). sed etsi mutatio est satis levis, tamen neque *δεήσει* aptum videtur post *δεῖ* (v. 41), et *δεῖξαι* nimis indefinitum est, quoniam neque dativus neque accusativus subiecti accedit. — versus igitur ita servari posse videtur, ut scribatur:

δῆλον δὲ θήσει πρᾶγμα κἀκφανήσεται

v. 224 *τί κυνηγεσίων καὶ σοὶ μελέτης;*

codd. B et E praebent *μελέτη* et C totum versum sic exhibet: v. 224
τί σοι κυνηγεσίων μελέτη;

hunc versum ab interpolatore scriptum putat Dindorfius (Adnot. ad Eur. I, 382), quia ineptum sit *καὶ σοί*, a scholiasta male explicatum per *καθάπερ τοῖς ἀνδράσιν*, et quia *κυνηγέσια* alias apud tragicos non legatur. sed quot verba apud tragicos semel occurrunt! *καὶ σοί* autem pro simplici *σοί* positum revera videtur esse molestum. quamobrem Kirchhoffius olim proposuit *τί κυνηγεσίων μέτα σοι μελέτης;* et Meinekius (Mus. Rhen. 19 p. 146) *παῖ σοι*. sed saepius *καί* in interrogativis enuntiatis additur. cf. Hippol. 92, 1171, Alc. 834. Soph. Oed. R. 989, 1129 Ant. 772. praeterea frequenter accedit ad pronomina personalia, cf. Hippol. 390, 724, 968, 1041, Soph. Ant. 280, El. 1301, Oed. Col. 53, 870. quamquam nostro loco, ut vitetur ambiguitas, scil. ne videatur nutrix ad Hippolytum adludere, malim cum Weilio ordine inmutato scribere *σοὶ καὶ μελέτη*. recte enim scribitur neque *μελέτης*, quod est in plurimis libris, neque cum Valckenario *μελέτῃ*, sed *μελέτη*, quod est in B C E, ut sensus sit: „cur tandem venationum tibi est cura?“

Nihilo tamen secius, si verum esset, quod Wilamow. Anal. p. 219 et Bartholdus Mus. Rhen. 31 p. 318 existimant, inter se permutandos esse v. 212—14 et vv. 223—27, v. 224 sine dubio esset eiciendus. sed haec transpositio, quae nititur in opinione Iahni (in Hermae tom. II p. 230), sedem versuum 213/14 et 225/27 esse permutandam, quod tamen ne ipsum quidem

necessarium videtur[1]), non solum non necessaria est, sed ne probabilis quidem. primum, si verba

v. 223 *τί ποτ᾽, ὦ τέκνον, τάδε κηραίνεις;*
v. 225 *τί δὲ κρηναίων νασμῶν ἔρασαι* ss. — *γένοιτ᾽ ἄν*

ponerentur post v. 208—11, inepta esset particula *δέ*. nam cum transpositione efficiatur, ut *τάδε κηραίνεις* non iam diversum sit a *κρηναίων νασμῶν ἔρασαι*, *δέ* inter illud et hoc intercedere nequit. Bartholdo quidem remedium non de-
v. 225 fuit: eiecit etiam v. 225 *τί δὲ κρηναίων νασμῶν ἔρασαι*; quod nemo probabit. accedit aliud. si verba *ὦ παῖ, τί θροεῖς — λόγον* sequerentur versum 222, hic exiret in syllabam ancipitem: *ἐπίλογχον ἔχουσ᾽ ἐν χειρὶ βέλος* | *ὦ παῖ*, quae ut in systematibus interdum est admissa ab Euripide, et maxime quidem ante interiectiones (Hec. 83, Ion. 167, Hipp. 1377, Med. 1396), ita nunquam ei est obtrudenda (cf. Rossb. Westph. III, p. 99). neque verisimile est, quod Bartholdus putat, lectorem aliquem propter hanc ipsam metricam offensionem tanta molitum esse, ut et ordinem versuum inmutaret et vv. 224—25 interpolaret, cum facillime eam tollere posset scribendo *τέκνον τί θροεῖς* vel tale quid. ut breviter complectar, cum vv. 223—27 non transponendi videantur, non opus est, ut deleatur v. 224.

v. 513—15 v. 513—15 *δεῖ δ᾽ ἐξ ἐκείνου δή τι τοῦ ποθουμένου*
σημεῖον ἢ λόγον τιν᾽ ἢ πέπλων ἄπο
λαβεῖν συνάψαι τ᾽ ἐκ δυοῖν μίαν χάριν.

delevit Nauckius p. 20 ss., quem secuti sunt Kirchhoffius (ed. II), Dindorfius (poet. scen.), Weilius. atque in *verbis* quidem iure offenditur. sed primum videamus ea argumenta, quae Nauckius ex *sensu* horum versuum repetiit. statuit enim, *σημεῖα τοῦ ποθουμένου* non convenire ad condicionem Phaedrae. sed signa in incantationibus adhibita esse non solum ad pristinos amores redintegrandos, id quod Nauckius effecit e tribus locis Theocr. II, 53, Luc. dial. mer.

---

[1]) putat alterum optatum Phaedrae (v. 215—20) maiore vituperatione egere quam prius (208—11). sed haec offensio non tum gravis est, ut transpositione opus sit.

IV, 4, Verg. ecl. 8, 90, sed etiam ad novos excitandos, cum per se est probabile, tum aperte demonstratur loco Apulei, Met. III, 16—18, ubi muliercula subito amore adulescentis capta eum sic defigere atque ad se adlicere conatur, ut apparatu magico instructo capillos eius qui quidem videbantur, igni imponat. huius igitur loci ratione habita Naucki argumentam conlabitur. porro censet, Phaedram, si audivisset illos versus, interrogaturam fuisse non v. 516, sed aut ad quem usum signa Hippolyti essent adhibenda, aut quomodo possent impetrari.

De hoc argumento iudicari nequit, nisi hoc toto loco accurate considerato. nutrix postquam intellexit, quanto opere Phaedra detestetur amoris sui Hippolyto aperiendi consilium, usque a v. 507 ambigue ita loquitur, quasi illud consilium omnino missum faciat et novum aliquod atque honestius proponat. simulat enim, in aedibus sibi esse philtra, quibus Phaedrae morbus absque turpitudine possit sanari. ipsa autem *φίλτρα θελκτήρια ἔρωτος*[1]) intellegit Hippolytum, Phaedram intellegere vult magicas amoris illecebras, quibus Hippolytus ita possit fascinari, ut amorem in novercam concipiat conceptumque ipse prior fateatur. ad hanc Phaedrae opinionem augendam aptissime adderet vv. 513—15. sententia igitur versuum 507—15 in universum esset haec: „aliud consilium propono . ipse Hippolytus incantamentis adliciendus est. atque philtra quidem sunt praesto (i. e. herbae et aliae res ad apparatum magicum necessariae). nihil amplius deest ad sacrum magicum instituendum nisi *σημεῖα.*“ iam ut ad Naucki sententiam revertar, ne aptum quidem esset, si Phaedra auditis vv. 513—15 de usu eiusmodi signorum sciscitaretur. nam horum in incantamentis amatoriis usum, ut mulier graeca, sine dubio ipsa noverat, sin antea non noverat, ex commemoratione philtrorum et ex tota oratione nutricis satis cognoscebat. neque opus erat, ut anxie interrogaret, quo-

[1]) haec verba plerique interpretes intellegere videntur de remedio, quo Phaedrae amor compescatur. sed huic interpretationi obstat ipsa notio vocabuli *φίλτρον,* quod non idem est atque *φάρμακον,* sed significat rem, qua quis ad amorem inlicitur.

modo signum Hippolyti impetrari posset. erat enim facillimum, aliquam rem obtinere, quam gesserat adulescens in eadem domo habitans.

Sed v. 516 optime quadrare videtur ad vv. 513—15. etenim Phaedra, quae prius consilium nutricis vehementer reprehenderat v. 498, nunc nihil obicit. probat igitur novum consilium. neque de signis quidquam habet quod addat. sed tamen veretur, ne nutrix simulata mente locuta sit. itaque quaerit *πότερα δὲ χριστὸν ἢ ποτὸν τὸ φάρμακον;* non quo id ipsum eius intersit, num *φάρμακον*, quo Hippolytus defigatur, sit *χριστόν* an *ποτόν*, sed ut cognoscat, num nutrix de vero *φαρμάκῳ* cogitet. Nauckium quidem et Hirzelium p. 38 id ipsum offendit, quod nutrix, cum vv. 513—15 multa sit de signis, v. 517 vel quaerenti Phaedrae de pharmaco responsum recuset. at primum *σημεῖα* et *φάρμακον* non idem sunt, sed illa sunt pars huius, *φάρμακον* autem significat h. l. ipsum potum vel unguentum amatorium e philtris et e signis paratum. deinde ne potest quidem nutrix Phaedrae certum responsum dare, nisi diserte vult mentiri. nam si fateretur, de vero pharmaco se non cogitare, omnis eius machinatio conrueret. itaque optimum putat, ambigue loqui.

Si haec recte disputata sunt, Naucki sententia, vv. 513—15 esse interpolatos, valde infirmatur. remanent tantum eae difficultates, quae positae sunt non in sententia, sed in verbis. quae haud scio an possint excusari vel emendatione removeri. *λόγον* enim Reiskius probabiliter mutavit in *πλόκον; ποθούμενος* etsi apud tragicos alias non occurrit pro „amato“, tamen tolerari posse videtur (cf. Theocr. 12, 2); pro *πέπλων ἄπο* ipse Nauckius proposuit *πέπλων ῥάκος*, alii alia, sed Wilamowitzius Anal. p. 215 defendit codicum scripturam; denique idem tuetur verba *συνάψαι τ᾽ ἐκ δυοῖν μίαν χάριν*, quamquam haec fortasse corrupta esse concedo. ceterum confer Iph. Taur. 487 *ὡς δὶ᾽ ἐξ ἑνὸς κακὼ συνάπτει.* numerorum autem lege ut Naucki sententia confirmetur, quod putat Hirzelius p. 38, tantum abest, ut hac ipsa improbetur. novem enim versibus nutricis 507—15 subiciuntur novem 516—24, si v. 513—15

retinentur. etiam improbabilior quam Naucki sententia est Wilamowitzi, qui v. 513—15 collocat ante v. 508, ita ut dicantur a Phaedra. accuratius de ea dicere a nostra disputatione est alienum.

§ 2.

Sequuntur ei loci, qui vel sine coniecturis retinendi videntur.

v. 493 ss. *εἰ μὲν γὰρ ἦν σοι μὴ 'πὶ συμφοραῖς βίος* v. 494. 95
τοιαῖσδε, σώφρων δ' οὖσ' ἐτύγχανες γυνή,
οὐκ ἄν ποτ' εὐνῆς οὕνεχ' ἡδονῆς τε σῆς
προσῆγον ἄν σε δεῦρο κ. τ. λ.

horum versuum secundum et tertium subditos esse iudicavit Nauckius p. 16 ss., qui adstipulatorem nactus est Bartholdum (Mus. Rh. 31 p. 330 ss.). maxime autem offendit in voce *σώφρων*. atque id quidem manifestum est, notionem „pudicae“ hic in *σώφρων* inesse non posse, sive ad verba *σώφρων δ' οὖσ' ἐτύγχανες γυνή* e versu praecedenti suppletur *εἰ*, sive cum Marklando et Valckenario *εἰ μή*. hoc ne per grammaticam quidem rationem potest admitti. atque ex altera parte si diceret nutrix: „si esses pudica mulier, te non adhortarer, ut libidini satisfaceres“, aperte Phaedram impudicitiae incusaret. neque ut Phaedram in flagitium adducat, necesse esse putare potest ex eo, quod Phaedra est impudica. immo quo quis est impudicior, eo minus eget adhortantis impulsu, sed ultro ruit in scelus (cf. Brunck.). iam *σώφρων*, *σωφρονεῖν*, *σωφροσύνη* etsi saepe spectant ad castitatem, tamen saepissime etiam simpliciter significant „prudentem“ vel „sanum“ (cf. Hippol. v. 398, 704, 731, 1013). Nauckius autem etiam hanc vim ab hoc loco putat esse omnino alienam. nam verba „nunquam te pellicerem, si esses prudens“ non apta ei videntur, quia sic nutrix dominae exprobret imprudentiam, quod eo minus debeat, quia velit ei persuadere, ut suum consilium sequatur. sed etiam antea nutrix dominam vituperare non dubitaverat, quod amorem persequi nollet, atque v. 473 etiam gravius, quam nostro loco. neque notionem prudentis convenire putat

ad apodosin *οὐκ ἂν δεῦρό σε προσῆγον.* imprudentia enim Phaedrae minime excusari, quod nutrix ad scelestam libidinem satiandam adducere eam studeat. nam non minus improbum esse, imprudentes in flagitium adducere quam prudentes. nihil igitur interesse hoc loco, utrum prudens sit Phaedra, an imprudens. habet haec sententia speciem veritatis, sed contra eam haec mihi dicenda videntur. primum hoc loco non tam id agitur, ut nutrix se excuset atque honeste se egisse contendat, quam ut demonstret, quam gravibus causis moveatur, ut Phaedrae amorem Hippolyto patefaciendum censeat. deinde si non id interest hoc loco, utrum Phaedra revera sit prudens, an imprudens, at certe plurimum refert, num nutrici videatur prudens atque compos mentis necne.

Nihil igitur obstat, quominus voci *σώφρων* hoc loco notionem prudentis subesse censeamus. quod Bartholdus obicit, si poeta significare voluisset sanam, eum non addere debuisse *γυνή*, eo refellitur, quod Euripides saepius vocem *γυνή* addit, ubi non prorsus necessaria est. cf. Alc. 306, Andr. 90, Bacch. 913, El. 988, Hipp. 779, Tro. 490 (ut *ἀνήρ* Hipp. 1031, Heracl. 2 etc.). atque *σώφρων γυνή* non castam, sed sanam mulierem significat etiam Med. 913. aliquid ambiguitatis habere verba Hipp. 494, cum non primo adspectu appareat, quomodo *σώφρων* accipiendum sit, libenter concedo. prudens autem atque sanae mentis Phaedra nutrici tum demum videtur, si cedit amori. id luculenter apparet ex eis, quae v. 473 et 476 dixit. contra imprudentiam Phaedrae in eo positam putat nutrix, quod mortem sibi consciscere decrevit (v. 400). neque igitur verba *σώφρων δ' οὐδ' ἐτύγχανες γυνή*, ut dicit Nauck., novum aliquod nutricis argumentum continent idque ineptum hoc loco, sed tam arte opposita sunt verbis *εἰ μὲν γὰρ ἦν σοι μὴ 'πὶ συμφοραῖς βίος τοιαῖσδε*, ut tantum suppleant argumentum, quod in his inest, ad hanc fere sententiam: „nisi tam insana esses, ut mori decreveris“ vel quod idem est „si tam sana esses, ut amplius vivere animum inducas.“ hac interpretatione accepta, nulla est causa, cur v. 494 insitivus ducatur. neque opus est Weili coniectura: *σώφρων ὢν σὺ τυγχάνεις γύναι.*

Sed Nauckius etiam sequentem versum condemnavit, quia vocabulis *εὐνή* et *ἡδονή* laederetur pudor Phaedrae. sed videtur Nauckius hic nimis fastidiosus esse existimator poesis Euripideae. mea quidem sententia Phaedra his verbis offendi non potest. neque enim neglegendum est, nutricem non dicere „concubitus voluptatisque causa te huc adduco", sed negative „nunquam ...... adducerem". quid inter utrumque intersit apparet. si illud diceret, concederet, se tantum ut voluptatem Phaedra adipisceretur, ad amorem eam impellere; cum dicat hoc, e contrario declarat, se non ut quasi lena libidini Phaedrae satisfaciat, ad amorem eam impellere, sed multo gravioribus moveri causis, sc. ut vitam Phaedrae servet. non est igitur, quod his vocabulis nutricem uti non debuisse statuamus. neque video, cur *εὐνή* et *ηδονή* non possint coniungi. hoc contendit Wilamow. Anal. p. 217, coniciens: *οὐκ ἄν ποτ᾽ εὔνους οὕνεχ᾽ ἡδονῆς γε σῆς.* sed *εὔνους* est frigidum atque *γέ* vix aptum. quominus autem v. 445 interpolatum ducamus, maxime obstat, quod simul removetur negatio, quae necessaria est. quamobrem Nauckius *προσῆγον* mutavit in *πῶς ἦγον;* sed interrogatio hic non apta videtur. Bartholdus quidem proposuit *οὐκ ἦγον.* sed nulla mutatione opus est.[1]) immo vero quoniam vidimus, retentis versibus 491 et 495 omnia apta esse atque colligata, remotis eisdem complures exsistere difficultates, non dubitabimus Naucki sententia reiecta eos ab ipso Euripide profectos esse statuere. repetitio autem particulae *ἄν* non obstat cf. Hippol. 270, 480, 961, Andr. 935, Herc. f. 233 etc., Kühner. gr. gr. § 398, 7 et S.

v. 330 s. *Τρ. κἄπειτα κρύπτεις χρήσθ᾽ ἱκνουμένης ἐμοῦ;* v. 330, 31
Φαι. ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν ἐσθλὰ μηχανώμεθα

ab hoc loco alienos putaverat Nauckius p. 11. sed quoniam postea hoc ipse improbavit et amplexus est (p. 189) transpositionem Hirzeli versus (p. 17) sic ordinantis: 332, 31, 30,

[1]) nonnulli editores Scaligerum secuti pro *προσῆγον* scripserunt *προῆγον*. sed ne hoc quidem est necessarium. nam *προσῆγον* potest arte coniungi cum *δεῦρο* et translate significare „impellere" cf. Androm. 27 et Soph. Oed. R. 131.

non opus est sententiam eius refellere. sed ne transpositio quidem, quamvis sit speciosa atque etiam Weilio probata, est admittenda. rectissime traditum versuum ordinem defenderunt Bartholdus M. R. 31 p. 323 et Weckleinius studd. l. l. p. 348, quorum expositioni nihil habeo quod addam. ceterum Bartholdus etiam apte explicat traditum *ὀλεῖ*, pro quo Nauck. et Weilius receperunt Musgravi *ὀλεῖς*.

v. 382—86 v. 379—86 *τὰ χρήστ᾽ ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν,*
οὐκ ἐκπονοῦμεν δ᾽, οἱ μὲν ἀργίας ὕπο,
οἱ δ᾽ ἡδονὴν προθέντες ἀντὶ τοῦ καλοῦ
[ἄλλην τιν᾽. εἰσὶ δ᾽ ἡδοναὶ πολλαὶ βίου
μακραί τε λέσχαι καὶ σχολή, τερπνὸν κακόν,
αἰδώς τε. δισσαὶ δ᾽ εἰσίν, ἡ μὲν οὐ κακή,
ἡ δ᾽ ἄχθος οἴκων. εἰ δ᾽ ὁ καιρὸς ἦν σαφής,
οὐκ ἂν δύ᾽ ἤστην ταὔτ᾽ ἔχοντε γράμματα.]

verba uncis inclusa deleri iussit Schliack. Philol. 35 p. 708. sed id ipsum, in quo maxime offendit, genuinos esse versus mihi luculentissime arguit. dicit enim oppositionem intercedentem inter *ἀργίας* et *ἡδονήν* turbari verbis *ἄλλην τιν᾽*, quibus significetur etiam *ἀργίαν* esse *ἡδονήν*. at vero notum est, si duae res distinguantur, saepius ad alteram accedere adiectivum *ἄλλος* ut ex. gr. *ἡδονὴ ἄλλη* nihil aliud sit, nisi *ἄλλο τι, δηλονότι ἡδονή*. cf. Hom. Od. *β* 412. Soph. Phil. 38. Aiac. 516. Eur. Med. 296. Krüger. gr. gr. § 50, 4, 11, Kühner. II, § 405 not. 1. sed ponamus, v. 382 ss. ab interpolatore esse profectos. iam huncine est veri simile, prioribus verbis quasi caudam adiecisse *ἄλλην τιν᾽* et tum demum novam sententiam protulisse? ego certe persuasum habeo, eum sententia ab integro versu incepta dicturum fuisse *εἰσὶν δὲ θνητοῖς ἡδοναὶ πολλαὶ βίου* etc. vel tale quid. sed Schliackio impedimento est etiam id, quod post verba *εἰσὶ δ᾽ ἡδοναὶ πολλαὶ βίου* non aliae enumerentur voluptates, nisi *μακραὶ λέσχαι, σχολή, αἰδώς*, e quibus *αἰδώς* ne sit quidem voluptas, illae autem voluptates satis leves. Haec offensio per se est rectissima. sed mihi hic omnino non enumerari videntur voluptates, sed particulis *τε-τε* distingui tres res inter se diversae, primum *ἡδοναὶ πολλαὶ*

βίον, deinde μακραί λέσχαι καὶ σχολή, quibus verbis recipitur vox ἀργίας, tum αἰδώς. hae tres Phaedrae videntur causae, cur homines bonum, quod noverunt, non faciant. neque in discrimine duorum generum pudoris offendiculum inest. cf. Hesiod. op. et d. 316 (Il. Ω 25) et Eurip. frgt. 367. verba autem εἰ δ' ὁ καιρὸς ἦν σαφής significant: si planum esset, quando hoc, quando illud genus conduceret, (schol. εἰ ᾔδειμεν εὐκαίρως αἰδεῖσθαι), vel si utrumque genus bene distingueretur, duae diversae notiones non eadem exprimerentur voce. denique, etsi huic non multum tribuo, v. 386 respici videtur a Menandro ap. Athenae. XIII p. 571 E, et singuli versus citantur ab Olympiodoro in Plat. Alcib. p. 139 (v. 383), a Plutarcho de virtute mor. p. 448 (v. 384 s.), a schol. Hom. Il. A, 104 (v. 386), ab Eustath. in Il. p. 723 (v. 386).

v. 1225 οὔθ' ἱπποδέσμων οὔτε κολλητῶν ὄχων v. 1225

Nauckius proscripsit p. 43. in versu antecedenti οὔτε mutans in οὔτι. arbitratur enim equos, si mordeant oreas (ἐνδακοῦσαι στόμια), non dici posse non curam habere frenorum (οὐ μεταστρέφειν τῶν ἱπποδέσμων), cum illae sint pars horum. sed nulla re cogimur, ἱππόδεσμα, quod vocabulum alibi non ivenitur, interpretari habenas. mihi potius ea lora intellegenda videntur, quibus equi ad currum atque temonem adligati sunt. eadem videtur esse significatio vocabuli ἱπποδέτης, quod occurrit Soph. Aiac. v. 241. firmatur haec sententia eo, quod habenae iam significantur verbis ναυκλήρου χερός. etiam minus Nauckio verba οὔτε κολλητῶν ὄχων quadrare videntur ad μεταστρέφουσαι, quia equi, si modo vehant currum, utique eius curam habeant. at vero aliud est, si equi currum vehunt placide atque ita ut aurigae oboediant, aliud, si eum „inobsequentes frenis rapiunt", ut dicit Seneca Phaedr. 1068, et efferato cursu feruntur. si hoc accidit, ut nostro loco, sine dubio iure dicuntur οὐ μεταστρέφειν τῶν ὄχων. videmus igitur, v. 1225 aptam explicationem habere. quod autem ἱππόδεσμα est ἅπαξ λεγόμενον, ei ne Nauckius quidem multum tribuit. ac profecto nihil inde efficitur.

v. 1302 v. 1302 *ἡμῖν, ὅσαισι παρθένειος ἡδονή.*

hunc quoque versum, citatum ab Eust. in Il. p. 502, 31, in suspicionem vocavit Nauckius l. l. p. 14., sed argumentis ad persuadendum non adcommodatis. primum in hoc enuntiato: „omnes, quibus virginitas curae est, oderunt Venerem“ inesse molestam tautologiam nemo ei credet. deinde displicet ei *ὅσαισι*, quia satis paucae sint Veneris adversariae. at *ὅσοι* non necessario magnum numerum designat. nec debebat haerere in verbis *παρθένειος ἡδονή*, haec enim non vertenda sunt „virginalis voluptas“, sed simpliciter significant virginitatem. eandem poeticam circumlocutionem Euripides saepius adhibuit. cf. El. 126 et 596, Iph. Aul. 199, Phoen. 314 et 338. ac ne potest quidem omitti hic versus, nam si deest *ἡμῖν*, quaeritur, *cui* Venus sit invisa. sensit hoc incommodum ipse Nauckius ideoque pro *ἐχθίστης* scribi iussit *αἰσχίστης*. sed neque *ἐχθίστης* mutandum et v. 1302 retinendus est. neque opus est coniectura Weili pro *ὅσαισιν* proponentis *ὅσαις τε*. fortasse autem Euripides scripsit non *ὅσαισιν*, sed *ὅσοισιν*, ita ut una comprehendatur Hippolytus, ut qui *πάρθενον* habeat *ψυχήν*. cf. v. 1006.

v. 634–37 v. 634—37 *ἔχει δ' ἀνάγκην, ὥστε κηδεύσας καλοῖς*
γαμβροῖσι χαίρων σώζεται πικρὸν λέχος,
ἢ χρηστὰ λέκτρα, πενθεροὺς δ' ἀνωφελεῖς
λαβὼν πιέζει τἀγαθῷ τὸ δυστυχές

interpolatos esse statuit Bartholdus M. Rh. 31 p. 337. offendit autem eo, quod *ἔχειν ἀνάγκην ὥστε* pro *ἀναγκάζεσθαι* alias non occurrat et requirat saltem non indicativum, sed infinitivum. eadem re iam veteres commentatores (cf. scholia) moti videntur, ut, post *ἀνάγκην* graviter interpungentes ab *ὥστε* novum enuntiatum inciperent. sed hoc admitti non potest, quia verba *πιέζει τἀγαθῷ τὸ δυστυχές*, ubi non iam pendent ab *ἔχει δ' ἀνάγκην*, omnino sunt perversa. nam qui id, quod in condicione sua est malum, revera comprimit et compensat [1]) eo, quod est praeclarum, is non potest

---

[1]) Weilius in addendis ita vertit, quasi *πιέζει* significet non „comprimit“, sed „conatur comprimere“ (cherche à étouffer).

diei versari in necessitate atque miseria (*ἔχειν ἀνάγκην*). desideraretur potius contrarium „non comprimit“ aut „frustra conatur comprimere“. idem cadit in Hartungi coniecturam *στέργειν ἀνάγκῃ δ' εἴτε* ... et in Heimsoethi *ἔχει δ' ἀνάγκην πᾶς ὁ κηδεύσας· κεδνοῖς* .... propter *πιέζει* igitur mihi certum est, eum qui scripsit verba *ἔχει ἀνάγκην*, non aliud ea valere voluisse, nisi *ἀναγκάζεται*. atque structuram *ἔχει ἀνάγκην ὥστε* etsi singularem esse largior, tamen ipsi Euripidi tribuendam existimo. ceterum cf. v. 1327, Soph. Oed. C. 1350, Hom. Il. IX, 42. neque indicativus tam molestus videtur, ut argumentum interpolationis ex eo repeti possit. sed Bartholdus haeret etiam in *χαίρων*, ad quod e verbis *κηδεύσας καλοῖς γαμβροῖσι* non possit suppleri *τούτοις*. sed cur ad dativum *καλοῖς γαμβροῖσι* non possunt accedere duo participia hoc fere sensu: „gaudens bonis adfinibus, quos nactus est“ vel „nactus cum gaudio bonos adfines“? non ignoro etiam Kirchhoffium in hac structura offensum esse. sed *καλῶς* ab eo propositum propterea est improbabile, quod elucere videtur, hic inter se opponi *πενθεροὺς ἀνωφελεῖς* et *καλοῖς γαμβροῖσι*. neque *σώζεται* Bartholdo mirum videri debebat. nam frgt. 406, 5 *ἐσώζετο* prorsus similiter usurpatur. *πιέζει* autem si pendere facimus ab *ἔχει δ' ἀνάγκην ὥστε*, non incommodum esse supra significavi.

Iam vero ait Bartholdus revera non necesse esse, ut quisquam malam uxorem retineat. putat igitur, quia malae feminae interdum non retineantur, sed expellantur, Euripidem non potuisse dicere verba *ἔχει-λέχος*. sed poeta non tam subtilis esse debet, ut in sententiis generalibus conformandis omnium eorum, quae accidere possunt, morose ac putide habeat rationem. addit Bartholdus, Hippolytum, cum hac tota oratione quam acerbissime in omnes mulieres invehatur, non posse diserte concedere v. 646 s., etiam bonas inveniri. at Hippolytus hic non simpliciter adfirmat etiam bonas inveniri, sed omnis huius enuntiati vis in eo posita est, ut dicat, *etiamsi* mulier sit bona, tamen conubium utique esse malam rem. sententia enim huius loci est haec: qui uxorem ducit, utique in calamitatem incurrit; nam si non utrique, at certe aut ipsa mulier aut adfines sunt mali. conubium

igitur ex omni parte beatum cogitari nequit, sed si quid boni adest, semper cogitur maritus hoc ipso malum comprimere. his perpensis omnibus v. 634—37 videntur esse servandi.

v. 640, 41 v. 640 s. *σοφὴν δὲ μισῶ· μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις*
εἴη φρονοῦσα πλεῖον ἢ γυναῖκα χρή

fortasse ab Euripide alienos esse iudicavit Nauck. p. 27, quia mirum sit, si Hippolytus, postquam omnem sexum muliebrem detestatus sit, hic tantum in mulieres nimis sapientes invehatur. sed v. 640 s. non per se intellegendi, verum oppositi sunt versibus 638 s. *ῥᾷστον-γυνή*, ita ut dicat Hippolytus, praeferendas sibi videri mulieres stultas atque simplices, sapientes autem se odisse utique. *μισῶ* igitur cum vi quadam efferendum est. minime autem verbis *σοφὴν δὲ μισῶ* etc. indicat Hippolytus, eas sibi *placere,* quae non sint sapientes. Bartholdus quidem Rh. M. 31 p. 337 Hippolytum, quam rationem in uxore ducenda sibi putet sequendam, hic explicare posse negat. sed Hippolytus etiamsi dicit *μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις εἴη φρονοῦσα,* se uxorem ducere velle omnino non significat. quamquam hic magis poeta loqui videtur sub Hippolyti persona, quam ipse Hippolytus. *γάρ* autem, quod Nauckio ineptum videtur, hoc loco eam vim habet, ut praecedentia non argumentis demonstret, sed copiosius explicet. pro *πλεῖον,* quod attico sermoni non convenit, Dindorfius recte proposuisse videtur *πλείον'*. quod v. 641 similis est versui Heracl. 979 *καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρή,* non molestum est, neque Nauckio fuit *νοθείας* argumentum. quae cum ita sint, v. 640 s., qui habent omnino *τὸν Εὐριπίδειον χαρακτῆρα* (cf. schol. Or. 640), immerito in suspicionem vocati videntur.

v. 1014, 15 v. 1013—16. *ἀλλ' ὡς τυραννεῖν ἡδὺ τοῖσι σώφροσιν;*
ἥκιστ[ά γ', εἰ μὴ τὰς φρένας διέφθορε
θνητῶν ὅσοισιν ἁνδάνει μοναρχία.
ἐγὼ δ']ἀγῶνας μὲν κρατεῖν Ἑλληνικοὺς
πρῶτος θέλοιμ' ἂν κ. τ. λ.

quae uncis inclusi spuria censuit Weilius, recte perspiciens, absurdissimam esse hanc sententiam: „sapientibus[1]) minime

---

[1]) eis adsentiri non possum, qui *σώφροσιν* vertunt hoc loco per „castos“.

dulce est regnare, nisi regnum corrupit mentes eorum quibus placet.“ quid enim? cui regni cupiditas *φρένας διέφθορε*, num is est *σώφρων*? an ferenda est haec sive tautologia dicitur sive repugnantia: „sapientibus regnum non placet, nisi sunt insipientes“? postea autem Weilius versus servandos et pro *ἥκιστά γ', εἰ μή* facili mutatione scribendum putavit *ἥκιστα· τιμή* (Revue critique 1876 I p. 207). ac profecto non opus est, ut versus expellantur. sed *τιμή* vix verum esse videtur. neque admittendum est quod in textum recepit Hartungus *εἰ μὴ οὐ*. erat cum *εἰ μή* mutandum putarem in *ἀλλά* (cf. Soph. Oed. R. 1386). sic hunc sensum lucramur, quem aptum esse nemo negabit: *οἱ σώφρονες* minime cupiunt regnare, sed ei, quibus regnum placet, sunt *φρένας διαφθαρέντες* i. e. *ἄφρονες*. sed haud scio an idem sensus insit etiam in tradita scriptura, si modo *εἰ μή* ita usurpatum esse statuimus, quemadmodum saepius adhibitum est non solum a posterioris temporis scriptoribus [1]), sed etiam ab Aristophane [2]), ut valeat non „nisi“, sed „tantummodo“ vel idem quod *ἀλλά*. accepta hac ratione, quae non est ideo improbabilis, quod aliud exemplum huius usus non videtur exstare apud Euripidem, v. 1014 et 15 possunt omnino intacti relinqui. interpungendum autem est sine dubio non post *ἡδύ*, sed post *σώφροσιν*, quia si *τοῖσι σώφροσιν ἥκιστά γ'* coniungerentur, particula *γέ* parum recte esset conlocata et quia ante *ἥκιστα*, quotiens sine verbo finito apud Euripidem occurrit, sententia semper est finita.

v. 70—72. *χαῖρέ μοι, ὦ καλλίστα* v. 70—72
καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον
παρθένων, Ἄρτεμι.

pro *παρθένων Ἄρτεμι* cod. C habet unum verbum *θεῶν*. hos versus languidum interpolamentum esse indicavit G. Hermannus („observ. critt. in quosd. locos Aeschyli et Euripidis“ Lips. 1798 p. 169, quae disputatiuncula in editionem

---

[1]) cf. Reiske ad Const. Porphyr. Caerim. p. 51 A (corp. script. Byz. II p. 161).

[2]) Av. 1681, Equ. 186, Lys. 943, Thesm. 898, frgt. 856 M. cf. Fritzsche ad Thesm. 898 et Kock. ad Equ. 186.

opusculorum non recepta est), quia essent numeris haud sane elegantissimis et eisdem verbis iterarent, et quidem sine ornatu, quae iam antea essent dicta. adsensi sunt viro clarissimo Matthiaeus, Bothius, Hartungus [1]), Weilius. hic addit Dianam non posse vocari pulcherrimam paucarum virginum Olympicarum, postquam v. 66 dicta sit *omnium* virginum pulcherrima. sed hoc argumentum, quo usus erat iam Nauckius (studd. II p. 5), non videtur esse idoneum. nam cum consentaneum sit, Olympicas virgines reliquis esse pulchriores, si Diana illarum formosissima dicitur, eo ipso intellegitur, eam esse formosissimam *omnium*. et quis credat illos versus esse antecedentium interpretationem (Hermann.) vel paraphrasin prosa oratione conceptam (Weil.)? tam plani enim sunt v. 59—69, ut eiusmodi interpretatione, quae ne est quidem interpretatio, sed nihil fere nisi repetitio, minime egeant. neque in ipsis verbis pedestris sermo agnoscitur. an repetitio vocis *καλλίστα,* ipsa dorica forma huius vocabuli, *κατ' Ὄλυμπον* pro *ἐν Ὀλύμπῳ* positum sapiunt prosam? mihi hi versus famulorum [2]) tribuendi videntur ipsi Euripidi, quem ab iteratione talium epiphonematum non abhorrere docent Bacch. v. 897—901 repetiti e v. 877—81 et v. 1011—16 e v. 992—96, El. 127—29 e v. 112—14, Ion. 141—43 e v. 125—27. metrum non bene convenire ad glyconeos praecedentes non infitior. num vero recte Nauckius l. l. legendum putaverit

χαῖρε χαῖρε μοι, ὦ κόρα
καλλίστα κατ' Ὄλυμπον,

vehementer dubito. si quid mutandum est, liceat mihi in hunc fere modum ludere:

χαῖρέ μοι, ὦ καλλίστα
καλλίστα πολὺ παρθένων
τῶν μέγαν κατ' Ὄλυμπον.

v. 63 et 67 neque est quod Nauckius propter metrum spurios habeat etiam v. 63 *Ζανὸς γένεθλον* et v. 67 *ἃ μέγαν κατ' οὐρανόν.*

---

[1]) Hartungus de interpol. p. 37 nescio qua de causa uncis inclusit etiam v. 64 *Λατοῦς Ἄρτεμι καὶ Διός,* sed in editione Hippolyti retinuit.

[2]) nonnulli eos ex auctoritate codicum B et *C* ipsi Hippolyto adsignant; sed v. 59—61 videntur esse Hippolyti, v. 62—72 famulorum.

nam saepius numero glyconeo immiscentur iambi vel trochaei (cf. Rossbach-Westphal gr. metr. III p. 541). ceterum v. 67 Weilius scribendum putavit ἃ μεγάλαν κατ' οὐρανόν (sc. ναίεις αὐλάν), Cobetus (Mnemos. 1874 p. 79) αἰγλήεντα κατ' οὐρανόν (ναίουσ').

v. 1019, 20 *πράσσειν τε γὰρ πάρεστι, κίνδυνος δ' ἀπὼν* v. 1019, 20
κρείσσω δίδωσι τῆς τυραννίδος χάριν

suspectos habet Hirzelius p. 81. sed difficultates magis ad firmandam rationem symmetricam quaesitae videntur, quam in ipso loco inesse. atque in sententia eum non offensurum fuisse pro certo habeo, si reputasset, Hippolytum id unum agere hoc loco, ut tyrannidis se non cupidum esse Theseo probet, certamina autem publica non ipsorum causa commemorare, sed quasi per antithesin. *χάριν διδόναι* alias apud Euripidem significare aut „gratificari" aut „morigerari", non „voluptatem praebere", et *πράσσειν* [1]) non solere nude poni concedo. sed cur negemus poetam haec verba sic usurpare potuisse, ut hoc loco usurpata sunt, non video causam. atque ad *πράσσειν consilio* nihil additum videtur, ut ipsa *agendi* notio magis compareat. nam minus apte mea quidem sententia *πράσσειν* hic explicatur per „res publicas gerere". consentaneum enim est, Hippolytum, cum privatam vitam laudet, non solum principem locum obtinere, sed omnino res publicas tractare nolle.

v. 276, 77 *Χορ. πότερον ὑπ' ἄτης ἢ θανεῖν πειρωμένη* v. 276, 77
(sc. *ἄσιτός ἐστιν*);
Τρ. θανεῖν· ἀσιτεῖ δ' εἰς ἀπόστασιν βίου.

delet H. Mueller. („Krit. Bemerkungen zu Euripides" progr. gymn. Burg. 1876 p. 11), quia non apte inter se opponantur *ὑπ' ἄτης* et *θανεῖν πειρωμένη*, cum *ἄτη* non morbum significet, sed calamitatem et maxime quidem deorum numine laeso contractam. sed idcirco hic versus esset emendandus potius quam delendus. quamquam coniecturae prolatae *ὑπ' ἄσης* (Victor.) *ὑπ' ἄλης* (Rsk.), *ἄσης ὕπ* (Muret.),

---

[1]) recte scribitur ex auctoritate cod. A *πράσσειν τε γάρ*, non quod est in deterioribus codicibus *πράσσειν γὰρ εὖ*.

ποίας ὑπ᾽ ἄτης κατθανεῖν πειρωμένη (Nauck.) non sunt probabiles. sed fortasse ne opus quidem est coniectura. nam cum *ἄτη* significet etiam fraudem et quasi delirium mentis divinitus missum, hic *ὑπ᾽ ἄτης* de toto morbo Phaedrae, qui non tam ad corpus (v. 224), quam ad mentem (cf. v. 214, 232, 238, 240, 241, 248) pertinebat, apte dici videtur, ita ut chorus interroget, utrum cibo abstineat Phaedra (cf. v. 275) propter furorem atque cogente ipso morbi adfectu, an data opera atque consilio, ut inedia vitam finiat. etiam molestius est Muellero, quod chorus hic quaerit, num Phaedra mori constituerit (*ἢ θανεῖν πειρωμένη*), postquam iam antea dixit (v. 135—40), se audisse, Phaedram mori velle. sed non mirum est, mulieres Troezenias quod de domina antea incerto rumore (cf. v. 130 *φάτις*) audiverant, id num verum sit, nunc accuratius ex nutrice percontari. „tautologia" in sequenti versu non inest, quoniam verba *ἀσιτεῖ δ᾽ εἰς ἀπόστασιν βίου* tantum ad ipsum *θανεῖν* copiosius exsequendum addita sunt. neque obstat, quod post *οὐδ᾽ ἄσιτος* (v. 275) repetitur *ἀσιτεῖ* (v. 277), neque *θανεῖν* tantum consarcinando versui servit. saepe enim apud Euripidem in responsis singula verba interrogationum antecedentium repetuntur. cf. Hippol. 1396. Hec. 1270, Alc. 533, 1131, Heraclid. 499, 666 etc. iam *ἀπόστασις βίου,* quod ineptum videtur Nauckio (cf. infra), etsi alias non occurrit, his locis videtur defendi: Med. 1039 *ἐς ἄλλο σχῆμ᾽ ἀποστάντες βίου,* Alc. 21 *μεταστῆναι βίου,* frgt 538, 1 *τοῦ βίου μεταστάσεις* (cf. Polyb. 30, 25 *ἡ ἐκ τοῦ βίου μετάστασις*). neque originem Muellerus interpolationis adfert probabilem. suspicatur enim, versus 276 et 277 eo tempore, quo melicae tragoediarum partes ab actoribus omitterentur, esse insertos, scilicet ne id, quod chorus dicit v. 135—140, prorsus praetermitteretur. quasi hoc ipsum non iam multo accuratius expressum sit versu 275! mea igitur sententia vv. 276, 77 sunt servandi.

v. 280. Iam vero Nauckius (Bulletin de l'Acad. de Pétersb. 1877 tom. 22 p. 93) removendos iudicat v. 277 et v. 280 *ὁ δ᾽ εἰς πρόσωπον οὐ τεκμαίρεται βλέπων;* non tam in his ipsis versibus, quam in universa sententiarum serie offensus.

sed ut offensiones eius perlustremus, non video, cur post verba nutricis *ἀσιτεῖ δ' εἰς ἀπόστασιν βίου* chorus dicere non possit v. 278: *θαυμαστὸν εἶπας, εἰ τάδ' ἐξαρκεῖ πόσει* „mirum si maritus in his acquiescit“ vel quod idem est „num Theseus hoc fieri patitur?“ ad *τεκμαίρεται* unusquisque e v. 279 facile subaudit obiectum *νόσον*. de v. 277 supra dixi. sed mirum esse non infitior, quod nutrix Theseum peregre esse non continuo post v. 278 *εἰ τάδ' ἐξαρκεῖ πόσει* enuntiat, verum ita loquitur v. 279, ut chorus credere possit eum esse domi. atque hanc maxime ab causam Nauckius, ut sententiae apte procederent, eiectis versibus 277 et 280, eos qui restant sic ordinavit: 276, 79, 78, 81. sed haec ratio est satis artificiosa. neque sententiarum ordo, qui sic exsistit, ab omni parte laudandus est. etsi enim v. 281 non sine probabilitatis specie sequitur versum 278, tamen neque v. 279 post 276 (sive tradita forma huius versus servatur, sive Naucki mutatio accipitur), neque v. 278 post 279 aptum locum habet. nam si Theseus morbum Phaedrae omnino ignorat (*κρύπτει* etc.), non mirum est, eum non curam eius habere. si quid mutandum esset, potius vulgari versuum ordine servato delendi essent duo versus continui 279, 80. sed ne hoc quidem est probabile, quia cur hi versus additi sint, non perspicitur. ceterum haud scio an ab eo cogitatorum progressu, qui veritati convenit, Euripides propterea hic paullum recesserit, quod studeret stichomythiam extendere. neque id, in quo Nauckius maxime offendit, magis mirum videtur, quam id ipsum, quod chorus Theseum abesse omnino nescit (v. 278 ss.). cf. Wecklein. ad Med. 667 et Weil. ad Iph. Aul. 124.

Restant nonnulli versus in suspicionem vocati, qui si abessent, non desiderarentur illi quidem, sed tamen videntur esse retinendi, quia necessario eos esse omittendos convinci non potest. quos qui *νοθείας* criminati sunt, argumenta attulerunt aut nulla aut ea, quae longiore refutatione non videantur egere. qui singulorum locorum nexum sobrio iudicio considerabunt, eos mecum consensuros esse confido. sufficiet igitur singulos locos enumerare indicatis nominibus eorum, qui primi deleverunt.

v. 196 κοὐκ ἀπόδειξιν τῶν ὑπὸ γαίας[1])

del. Wecklein. teste Nauckio in adnot. crit.

v. 290 στυγνὴν ὀφρὺν λύσασα καὶ γνώμης ὁδόν

del. Cron. Ztschr. f. d. östr. Gymn. tom. 23, (1872) p. 724.

v. 304/5 verba μέντοι et αὐθαδεστέρα γίγνου θαλάσσης Nauck. in adn. crit. aut spuria putat aut corrupta.

v. 377 verba ἔστι γάρ τό γ᾽ εὖ φρονεῖν πολλοῖσιν et τόδε del Nauck. Eur. Studd. II p. 14.

v. 402, 3 ἐμοὶ γὰρ εἴη μήτε λανθάνειν καλά
μήτ᾽ αἰσχρὰ δρώσῃ μάρτυρας πολλοὺς ἔχειν.

del. Hartung. de interpol. p. 47.

v. 438 πέπονθας· ὀργαὶ δ᾽ εἰς σ᾽ ἐπέσκηψαν θεᾶς

del. Nauck. in adn. crit.

v. 441, 42 οὔτ᾽ ἄρα γ᾽ οὐ δεῖ τοῖς ἐρῶσι τῶν πέλας
ὅσοι τε μέλλουσ᾽, εἰ θανεῖν αὐτοὺς χρεών[2])

ab histrionibus additos esse arbitratur Bernhardy. hist. gr. litt. II, 2, ed. III p. 459.

v. 663 τῆς σῆς δὲ τόλμης εἴσομαι γεγευμένος

del. Herwerden. Mnemos. IV, p. 373.

v. 696 τὸ γὰρ δάκνον σου τὴν διάγνωσιν κρατεῖ

del. Nauck. in adnot. crit.

v. 910 πάτερ πυθέσθαι βούλομαι σέθεν πάρα

del. Cobet. Var. Lect. p. 565.

v. 911 σιγᾷς; σιωπῆς δ᾽ οὐδὲν ἔργον ἐν κακοῖς

---

[1]) verba οὐκ ἀπόδειξις unam notionem faciunt, ut Bacch. 1288 ἐν οὐ καιρῷ. cf. Valck. ad Hippol. 196.

[2]) locum non mediocriter esse corruptum, omnes consentiunt. mihi sensus postulare videtur ἐρᾶν ἄρ᾽ οὐ δεῖ τοῖς ἐρῶσι ss., ut structura verbi δεῖ sit eadem, atque Xen. anab. 3, 4, 35 et Oec. 7, 20, Plat. Phileb. p. 33 B et rep. 10 p. 608 C, Soph. Oed. C. 721, Eur. Hipp. 940 quamquam in ipsum textum non ausim illud recipere.

del. Monk.

v. 942 τοὺς μὴ δικαίους καὶ κακοὺς πεφυκότας[1])
del. Wecklein. studd. l. c. p. 353.

v. 1226 τὸν τᾶμ' ἀπαρνηθέντα μὴ χρᾶναι λέχη
interpolatum esse posse statuit Weil.[2])

v. 1439 ὁρῶ δέ σ' ἤδη τοῦδε πλησίον κακοῦ[3])
del. Cobet. Var. Lect. p. 565.

IV.

De eis locis, qui ex Hippolyto priore interpolati esse putantur.

Euripides duas scripsit Hippolytos. prior tragoedia, quae appellatur Ἱππόλυτος καλυπτόμενος, est perdita, alteram, quae vocatur Ἱππόλυτος στεφανηφόρος vel στεφανίας, habemus. iam paucis tangenda est Valckenari sententia putantis in nostra tragoedia exstare nonnullas lectiones, quae sint interpolatae e priore. haec sententia eo nititur, quod summus ille vir Hippolytum coroniferum non fabulam ab Hippolyto velato omnino diversam, sed tantummodo correctam eius editionem censuit.[4]) itaque si diversitas lectionum in nostra tragoedia est ea, ut videatur librariis imputari non posse, et tamen per se utraque lectio possit ferri, hoc ita explicat, ut alteram lectionem esse secundae editionis, alteram a lectoribus e priore enotatam et deinde a margine in textum aliquot codicum receptam esse statuat. sic v. 43, ubi alii codices exhibent πεφυκότα, alii νεανίαν, utrumque sensui aptum, in priore editione putat fuisse illud, in altera hoc, v. 809 in priore πικρὰν θέαν, in altera τὸν δαίμονα, v. 1348 in priore δύσποτμος, in altera προσφιλής. non

[1]) si χωρήσεται v. 941 caret obiecto, intellegi nequit.

[2]) quia in B et E non ante, sed post v. 1267 legitur.

[3]) ὄντα ad πλησίον non magis requiritur, quam ad πέλας Alc. 24. Soph. Ant. 580 et Oed. C. 29.

[4]) cf. Valck. praef. ad Hippol. p. XIX. idem ante Valckenarium putavit Bentleius et post eum Welcker. gr. tragg. II p. 736 et alii.

opus est, omnia diserte adferre. cf. adnotationes eius ad vv. 68, 79, 230, 388, 431, 630, 744, 829, 1053, 1321.

Sed haec ratio probari nequit. primum enim certum videtur Hippolytum coroniferum non esse fabulam retractatam et emendatam, sed omnino novam atque peculiarem tragoediam.[1]) (cf. Hartung. Eurip. restit. I. p. 51.) deinde etiam in reliquis fabulis Euripideis, ubi de duabus editionibus cogitari non potest, diversae lectiones occurrunt, quae neque e scribentis errore, neque ex interpretamento natae esse videntur. cf. varias lectiones versuum Andr. 727, Hec. 70, Or. 224, 1533, 1620, Phoen. 915 etc. neque Valckenarius sibi constitit, sed modo prioris, modo alterius editionis quas putabat lectiones in textum recepit. neque nunc editores varias lectiones Hippolyti ita ut ille explicant.

Sed etiam nonnullos versus integros viri docti in nostram fabulam ex Hippolyto priore retractos existimaverunt, ita ut in margine adscripti postea a librariis in textum essent admissi. constat saepius factum esse, ut versus ex alia fabula ab histrionibus vel lectoribus transferrentur in aliam, velut Alc. 207, 8 ex Hec. 411, 12, Bacch. 1028 ex Med. 54, Hel. 779 ex Phoen. 972 male inserti sunt et Bacch. 316 ex Hipp. 80, Hipp. 809 e Med. 1315 confictos videri supra diximus. itaque per se cogitari potest, etsi e fragmentis

---

[1]) hoc vel diversa cognomina fabularum videntur indicare. quae de duplici recensione dramatum graecorum traduntur, ea omnia pertinent ad comoedias, non ad tragoedias. materies quidem ab Euripide in utraque tragoedia tractata est eadem, sed singulas scaenas, personarum descriptionem, totam actionis conformationem fuisse diversas, apparet cum e locis quibusdam veterum scriptorum, tum e fragmentis prioris Hippolyti. atque earum scaenarum, quarum argumentum in altera fabula non discrepnisse videtur, tamen formam esse mutatam, efficitur e frgt. 442 (cf. v. 925—31), quod pertinere videtur ad eam scaenam, quae respondet nostrae Hippolyti versibus 899—1101, e frgt. 445, quod disumptum est e nuntii narratione, quae in servata fabula est v. 1151—1264., e frgt. 449., cuius in locum in altera tragoedia substituti videntur v. 1462—66. denique, si posterior Hippolytus fuisset emendata et perpolita editio prioris, nonne memoria prioris debuisset mox abolescere? sed e contrario prior Hippolytus nota fuit non solum Alexandrinis (cf. vit. Eurip., arg. Hippol., schol. Theocr. 11, 10), sed etiam Plutarcho (ex eo, quod citatur a Stobaeo, Clemente Al., aliis. nihil efficiendum est).

nullus versus cum nostra fabula consentit,[1]) in Hippolytum etiam ex Hippolyto priore unum vel alterum versum esse inlatum, praesertim cum argumentum utriusque tragoediae esset fere idem. omnino autem ad Hippolytum priorem relati sunt decem loci, et quidem a Valckenario v. 664—68, ab Hartungo v. 447—50, ab O. Jahnio v. 29—33, a Bartholdo, qui multas difficultates hac ratione facillime expediri posse Philol. 36 p. 346 pronuntiat, v. 468, 69, 477—81, 500, 791, 810 et 825, 866—70, 879, 80. si tam late hoc interpolationis genus patet, statuamus oportet, eum qui adscripsit non e memoria singulos locos adscripsisse, sed in legendo utramque fabulam ante oculos habuisse et plane inter se comparavisse. sed ponamus, hoc factum esse. continuo quaestio oritur, cur illi potissimum versus sint adscripti. nam si quis singulas scaenas utriusque tragoediae inter se conferebat, multa erat citatu digniora atque ad similitudinem aut discrepantiam actionis, personarum, scaenarum, sententiarum cernendam graviora. vides, quam incertis fundamentis haec opinio nitatur. sed iudicari de ea non potest, priusquam in singulos locos inquisiverimus. ad hos igitur nunc adgredior. id autem iam hoc loco iure contendere mihi videor, non quosvis versus suspectos licere ad Hippolytum priorem referre, sed tantum eos, qui ita comparati sunt, ut cum aliqua probabilitate locus indicari possit, quem in fabula illa obtinuerint. quod si est, suspicio Bartholdi,
v. 468, 69 *οὐδὲ στέγην γὰρ ᾗς κατηρεφεῖς δόμοι καλῶς* v. 468, 69
ἀκριβώσειαν fortasse ad Hippolytum priorem esse referendos putantis M. Rhen. 31 p. 327, iusta ratione caret. eodem fere iure illa verba ad unamquamque tragoediam perditam referri possent. sed supra vidimus ea, levi mutatione admissa, esse retinenda. etiam de v. 825 et 810 et de v. 866—70 iam dictum est, quoniam ex disputationis ordine eximi non poterant. nunc igitur non de ipsis versibus, sed tantum de

[1]) ab ipso Euripide versus prioris dramatis consulto fere non esse repetitos in altero inde colligo, quod quae fragmentis 442, 445, 449 in nostra tragoedia respondent, aperto consilio aliter formata esse videntur (nam quod Hipp. 928 similiter exit atque frgt. 441, 1 est levidense). sed hoc ad nostram quaestionem non pertinet.

v. 825 et 810 Bartholdi opinione iudicandum est. ac versus 825 et 810 quidem continuos

> *ἐκλύεθ᾽ ἁρμούς, ὡς ἴδω πικρὰν θέαν*
> *γυναικός, ἥ με κατθανοῦσ᾽ ἀπώλεσεν*

ex dramate priore ita interpolatos putat, ut primum adscriberentur ad v. 809 (*ἐκλύσαθ᾽ ἁρμούς, ὡς ἴδω δυσδαίμονα*), ut cui prior eorum esset similis, deinde in textum inreperent, et alter quidem post ipsum v. 809, prior casu post v. 824. quae suspicio non solum incertissima est, sed ne probabilis quidem. nam si ipse Euripides v. 809 fere totum sumpsit ex Hippolyto priore, cur non etiam versum *γυναικός* ss., qui ibi sequebatur, repetiit, et si hunc omisit, cur in v. 809 *πικρὰν θέαν*, quod esset aptissimum, mutavit in *δυσδαίμονα*, quod minus aptum est? denique cur lector ad unum v. 809 ex priore fabula adnotavit non solum eum, qui erat similis, sed etiam sequentem *γυναικός* etc., cui similis in altera non exstabat? ceterum mihi quidem v. 810 genuinum, v. 809 autem et v. 825 spurios videri supra exposui.

v. 866—70 Etiamsi v. 866—70 interpolatos esse pro certo haberem, tamen Bartholdi rationem probare non possem. etenim quinque illos versus hoc fallaci argumento nisus, quod v. 868 maior dolor exprimatur, quam choro conveniat, suspicatur enotatos esse ex Hippolyto velato, ubi v. 866—68 dixerit Theseus, uxoris morte cognita, chorus v. 869, 70. atque in priore quidem fabula arbitratur inter verba *κρανθέν* et *εἴη τυχεῖν* nonnullos intercessisse versus, quos lector non exscripserit, sed tantum signo aliquo indicaverit. quam lacunae statuenda rationem nemini probatum iri existimo.

Iam videamus, num reliqui loci, de quibus nondum egimus, maiore cum probabilitate ad Hippolytum priorem referantur. ante omnia autem quaerendum est, num omnino recte deleantur. nam si non recte eos suspectari apparet, eo ipso illa opinio conlabitur. hanc quoque viam primus iniit Valckenarius. hic enim

v. 664—68 v. 664—68 *ὄλοισθε. μισῶν δ᾽ οὔποτ᾽ ἐμπλησθήσομαι*
γυναῖκας, οὐδ᾽ εἴ φησί τίς μ᾽ ἀεὶ λέγειν·
ἀεὶ γὰρ οὖν πώς εἰσι κἀκεῖναι κακαί.

ἢ νῦν τις αὐτὰς σωφρονεῖν διδαξάτω,
ἢ κἄμ' ἐάτω ταῖσδ' ἐπεμβαίνειν ἀεί

„ab histrionibus vel *φιλευριπιδείοις*“ e priore fabula repetitos esse suspicatus est. si hoc verum esset, ibi dicti essent ab Hippolyto, postquam Phaedra ei amorem fassa est. nempe ibi non videtur Phaedra nutrice usa esse interprete. sed magis sensu quodam, quam ratione motus est hoc loco v. cl.: displicuit ei, quod versus nihil novi adderent et essent valde frigidi. ac sane plane necessarii non sunt. sed inde eos reiciendos esse minime sequitur, praesertim cum Euripides libenter in mulieres invehatur. nec minus frigerent in priore tragoedia. Bartholdo autem Rh. M. 31 p. 337 hos versus, qui leguntur etiam Stob. flor. 73, 3 III p. 44., Euripidi omnino abiudicanti ita occurro, ut ad *λέγειν* non cum Valckenario *κακῶς*, sed ex antecedentibus *μισεῖν γυναῖκας* supplendum existimem, ita ut sensus sit: ne tum quidem mulieres odisse desinam, si quis dicit me semper hoc odium in ore habere (cf. Seidler. p. 23). sic non opus est, *λέγειν* mutare in *στυγεῖν* (Reisk.) aut in *ψέγειν* (Heims.). *πώς* autem saepius ita usurpatur, ut nobis prorsus abundare videatur. neque Nauckio (p. 188) aut Hirzelio (p. 49) adstipulari possum delentibus unum v. 666, quia sit ieiunus et obstet symmetriae. symmetriam nihil moror. et si ieiuni versus in Euripide ferri non possent, quam multi essent delendi! quare cum v. 664—68 genuini esse videantur, non iam licet eos ex Hippolyto priore putare desumptos. v. 447—50

v. 447—50 *φοιτᾷ* — *ἔκγονοι* ut spurios notavit Hartungus in editione, quia nutrix, cum Phaedrae hoc loco velit exponere, omnes esse Veneri subiectos, non possit dicere, omnia ex Venere gigni. et videtur putare in priore fabula eos dictos esse a Phaedra, cum Hippolytum ad amorem pellicere vellet. sed versus sententiarum conexui bene convenire ultro intelleget, qui nutricis orationem v. 433 ss. legerit. suspicio igitur Hartungi est inanis. neque quisquam ei est adsensus. neque opus est multa verba facere de v. 791. v. 791

ἠχὴ βαρεῖα προσπόλων μ' ἀφίκετο,

quem huc migrasse e priore Hippolyto suspicatus est Bar-

tholdus Philol. 36 p. 346. nulla enim alia re movetur, nisi quia hic versus fere idem contineat atque antecedens:

γυναῖκες, ἴστε τίς ποτ᾽ ἐν δόμοις βοή;

quod ne ad suspectandum quidem versum sufficit.

v. 879, 80 v. 877—80 *βοᾷ βοᾷ δέλτος ἄλαστα. πᾷ φύγω*
βάρος κακῶν; ἀπὸ γὰρ ὀλόμενος οἴχομαι.
οἷον οἷον εἶδον ἐν γραφαῖς μέλος
φθεγγόμενον τλάμων.

Bartholdus (Philol. 36 p. 566) repetitionem eiusdem cogitati (*βοᾷ δέλτος* et *ἐν γραφαῖς μέλος φθεγγόμενον*) non tolerans et ut hic locus metro versuum 882—84 plane respondeat desiderans, delet v. 879 et 880, ut ex Hippolyto velato inlatos. sed quod Theseus id, quo animus eius gravissime est percussus, bis deinceps exclamat (cf. etiam v. 857 et 865), aliis non molestum fore opinor. neque demonstrari potest, quia v. 882 ss. legantur quinque dochmii, omnino opus esse, ut quinque dochmii restituantur etiam v. 877 ss. huic rationi vel id obstrepit, quod verba v. 877, 78 vehementer essent mutanda. atque ipse Bartholdus ea sic fere putat esse restituenda:

δέλτος ἄλαστά μοι βοᾷ. πᾷ φύγω
μέγα βάρος κακῶν ⏑ – ὀλόμενος
⏑ – – τλάμων.

quae ratio quo violentior est, eo magis neque v. 877 s. corruptos neque v. 879 s. interpolatos esse habeo persuasum.

v. 500 v. 500 *αἴσχρ᾽, ἀλλ᾽ ἀμείνω τῶν καλῶν τάδ᾽ ἐστί σοι.*

hic quoque versus videtur Bartholdo (M. Rh. 31 p. 332) petitus esse e priore tragoedia, ubi Phaedra in monologo apte dicere potuerit:

αἴσχρ᾽, ἀλλ᾽ ἀμείνω τῶν καλῶν τόδ᾽ ἐστί μοι.

delevit eum iam Nauckius l. c. p. 18, cui adsentiuntur Hirzelius p. 37. et Weilius. sed neque pluralis *τάδε* offendit, neque quid sibi velit *καλά* (cf. Hirzel.), potest esse obscurum. significat enim non ut v. 487 speciosos sermones, sed idem

quod *ἐσθλά* vel *χρηστά*, ut saepe, velut v. 381, 402, Hec. 602, Hel. 263. pro *δέ* autem, si admitteretur v. 500, requiri *γάρ* non contendet, qui significationem universam particulae *δέ* consideraverit. neque ineptum est, quod nutrix, postquam Phaedra v. 499 ei obiecit verba eius esse turpissima, hoc diserte largitur voce *αἰσχρά*. nam antea ipsa significavit, fieri non posse, ut Phaedra amori ita satisfaceret, ut honestatem omnino servaret (v. 462—72). atque mea quidem sententia multo magis sperare debet, se Phaedrae persuasuram, ut amori cedat, si sic argumentatur: „etiamsi turpe suadeo, tamen faciendum est, quia utilius est, quam honestum", quam si turpe illud esse omnino negaret. Weilius et Bartholdus moleste ferunt, quod in v. 500 idem dicatur atque in duobus sequentibus. sed v. 501, 2 additi videntur, ut versum 500 accuratius definirent, ita ut *δέ* sit explicativum. quod aiunt, intercedente v. 500 obscurari oppositionem, quae intercedat inter *αἰσχίστους λόγους* et *τοὔργον*, nihil valere apparebit reputanti vocabulo *τοὔργον* manifesto hic opponi non *λόγους*, sed *τοὔνομα*. sane huic aequabili versuum 482—506 dispositioni: 4, 4, 8, 4, 4 (cf. Hirzel.) unus v. 500 obstat. sed cum argumenta adlata futilia esse viderimus, istam solam ob causam v. 500 delere non licet, praesertim cum v. 498—502 non unius sint personae, ut v. 482—85, 486—89, 503—5, sed duarum. praeterea quam lubricum sit, si concinnitas numerorum laesa videtur, in hac re interpolationis indicium positum putare, cernitur eo, quod tota scaena a v. 482 usque ad v. 524 servato v. 500 etiam ad hanc normam potest disponi: 8, 8, 9, 9, 9. quamquam num consilio Euripides ad horum numerorum amussim versus adstrinxerit, dubium est. Bartholdi autem ratio per se vel ob id est improbabilis, quod fundamentum eius est incertissimum. nititur enim eo, quod in priore fabula pro *σοί* scriptum fuisse statuit *μοί*.

v. 477—81 *νοσοῦσα δ' εὖ πως τὴν νόσον καταστρέφου.*
εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι·
φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου.
ἦ τἄρ' ἂν ὀψέ γ' ἄνδρες ἐξεύροιεν ἄν,
εἰ μὴ γυναῖκες μηχανὰς εὑρήσομεν.

hos vv. Bartholdus M. Rhen. 31. p. 328 s. in Hippolyto priore dictos esse arbitratur a nutrice ad Phaedram, quae in initio illius fabulae rem magicam exercuisse videatur [1]. ad v. 476 autem fabulae servatae adscriptos eos videri a lectore, ut indicaretur, quam diversi in duabus fabulis essent mores nutricis, ut quae in priore conata esset Phaedrae amorem reprimere (*τὴν νόσον καταστρέφου*), in altera diceret *τόλμα δ' ἐρῶσα* (v. 476). primum videndum est, num v. 477—81, quos Wilamowitzius quoque non quidem spurios, sed post v. 507 transponendos iudicavit Anal. p. 212 s., videantur ab eo loco, quem in codicibus obtinent, omnino esse alieni. ac Bartholdus quidem eos delet, quia *νόσος* hic neque de animi aegritudine vel amore, neque de corporis morbo Phaedrae possit intellegi. videamus, num hoc verum sit. per se quidem *νόσος* potest significare non solum externum morbum, sed etiam amorem (cf. v. 40, 393). sed si nutrix his versibus Phaedram hortatur, ut amorem carminibus magicis frangat atque removeat, manifesto discrepant hi versus non solum cum versu antecedenti, ubi diserte dicit *τόλμα δ' ἐρῶσα*, sed etiam cum consilio totius orationis v. 433 ss. hoc recte animadvertit Bartholdus. idem addit, neque chorum, neque Phaedram ad aliud consilium nutricis respicere, atque ad *τόλμα δ' ἐρῶσα*. Wilamow. autem p. 213 verba non ad compescendum, sed ad explendum amorem Phaedrae pertinere ratus sic interpretatur: „quoniam amasti, amorem quam optime potes ad finem perduc; quod aut philtris aut alia quapiam via efficere potes." haec interpretatio per se ferri potest. nam *καταστρέφου* potest valere non solum „tibi subice", sed etiam „finem impone alicui rei", quod Bartholdus neglexit. [2] sed nova difficultas oritur. etenim postea (v. 509) nutrix philtra commemorat quasi novum aliquod remedium, quod sibi modo in mentem venerit. num igitur eam iam

[1]) e coniectura Welckeri gr. tragg. II. p. 737.

[2]) scholiasta utramque explicationem miscere videtur, cum dicat: *οἷον μὴ ἡττῶ τῆς νόσου, ἀλλὰ γενναίως φέρε καὶ ἐπὶ πέρας ἄγε αὐτήν.* in antecedentibus, quae Dindorfius sic exhibet: *καλῶς πως διατίθει τὴν νόσον, καὶ ὑπόταττε σαυτήν*, pro *σαυτήν* scribendum puto *σοὶ αὐτήν*.

antea (v. 478) philtrorum mentionem fecisse est probabile? meo quidem iudicio hoc cogitari nullo modo potest.[1])

Ex eis, quae adhuc disputavi, sequitur, nutricem hoc loco neque remedia, quibus amor Phaedrae frangatur, neque philtra Hippolyto admovenda, quibus fieri possit, ut amor Phaedrae expleatur, posse commemorare. quodsi *νόσος* amorem Phaedrae valere hic non potest, quaeritur, num possit valere morbum. eis quae Bartholdus obicit, nihil demonstrare conatur nisi *νόσον* hic non posse significare solum corporis morbum. sed mea quidem sententia apte accipitur de toto et mentis et corporis morbo. saepe enim totum valetudinis detrimentum Phaedrae dicitur *νόσος* cf. v. 131, 205, 269, 293. verba autem *ἐπῳδαὶ καὶ λόγοι θελκτήριοι* non censenda sunt significare idem quod *φίλτρα θελκτήρια ἔρωτος* v. 509, quo vitio laborat Wilamowitzi interpretatio, sed incantationes magicas ad amoliendum morbum aptas, quam vim vox *ἐπῳδή* saepius habet (cf. Pind. Pyth. III, 51 (91), Soph. Aiac. v. 582). similitudo igitur versuum 478 et 509 eo minus offendit, quod sententia eorum est diversa.[2]) iam totum locum sic explico, ut nutrix, quae nihil habet antiquius, quam ut vita dominae conservetur, haec fere dicat:

[1]) ipse Wilamow. nonnullas causas affert, cur commemoratio philtrorum hoc quidem loco non apta videatur. causas, quas apud ipsum vide p. 213, probo, quod ob eas v. 477—81 loco movendos putat, non probo. si quid tollendum esset, satis esset removere v. 478. nam ad hunc unum pertinet ea res, in qua offendit, sc. mentio philtrorum. ac profecto hic versus mihi quoque delendus videretur, si omnino, ut Wilamow., putarem eum continere mentionem philtrorum. neque ipsa transpositio Wilamowitzi est probabilor, quam ea, ex qua v. 513—15 ponit ante v. 508. nam *si* v. 478 philtra significari putantur, gravissima difficultas, quam supra commemoravi, ea non removetur. ac ne lacuna quidem inter 507 et 508 iure statui videtur. sed accuratius disserere de Wilamowitzi sententia a proposito nostro alienum est.

[2]) est autem haec similitudo adeo levis, ut eam in conspectu repetitionum, quem supra dedi, ne commemorandam quidem duxerim. pertinet enim ad id unum, quod v. 478 exit in *θελκτήριοι*, v. 509 in *θελκτήρια*. quod molestum esse negabit qui reputaverit, verba *τετρασύλλαβα* duos iambos continentia fere semper in extremo poni senario. cf. Wesener. l. l. p. 21.

„aude amare. atque cum nunc sis aegrota, morbum tolle, non quidem, ut tu vis, morte voluntaria, sed *εὖ πως* i. e. incantamentis vel alio quopiam medicamento idoneo, quod quin inventurae simus, non potest esse dubium.“ hac interpretatione accepta v. 477—81 non sunt suspecti, sed aptissimi. neque asyndeton tam grave est, ut opus sit aut Musgravi coniectura *καὶ λόγος θελκτήριος φανήσεταί τις*, aut Herwerdeni *εἰ δ᾽ εἴσ᾽ ἐπῳδαί*, quam ne sensus quidem admittit. nec iure Hartungus de interpol. p. 34 delet v. 480, 81.

Quare cum v. 477—81 genuini habendi sint, conruit suspicio Bartholdi. quae sibi vel ipsa obstrepit. opinatur enim, versibus *νοσοῦσα — εὑρήσομεν* nutricem in priore Hippolyto suasisse, ut Phaedra amorem arte magica reprimeret, et altera ex parte refert eos ad sacrum magicum a Phaedra institutum. haec aperte inter se pugnant. nam *si* Phaedra in initio prioris fabulae artem magicam exercuit,[1] dubium esse non potest, quin id fecerit, non ut amorem reprimeret, sed e contrario ut Hippolytum incantaret et quasi ad amorem cogeret.

v. 29—33 v. 29—33 *καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροιζηνίαν,*
πέτραν παρ᾽ αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον
γῆς τῆσδε ναὸν Κύπριδος ἐγκαθίσατο,
ἐρῶσ᾽ ἔρωτ᾽ ἔκδηλον· Ἱππολύτῳ δ᾽ ἔπι
τὸ λοιπὸν ὠνόμαζεν ἱδρῦσθαι θεάν

e priore Hippolyto sumptos esse suspicatus est O. Jahnius (Herm. II p. 249). ante omnia quaerendum est, num omnino cogamur eos ducere spurios. ac v. 33 quidem, ut ab hoc faciam initium, summis laborat difficultatibus. primum offendit verbum *ὠνόμαζεν* coniunctum cum *ἱδρῦσθαι*. quod ad *ὀνομάζειν* interdum *εἶναι* additur, velut Herod. IV, 33 et Plat. Protag. 311 E, inde minime sequitur, dici posse etiam *ὠνόμαζεν ἱδρῦσθαι*. deinde dicendum fuisse videtur *ὠνόμασεν*, non *ὠνόμαζεν*. porro ad *τὸ λοιπὸν* requiritur verbum futuri temporis. gravissima autem difficultas posita est in sententia. videtur enim his verbis significari, Phaedram

[1]) colligitur hoc e schol. Theocrit. II, 10., sed certum non est.

templum Veneri dedicatum appellasse ἐφ' Ἱππολύτῳ. at Phaedra, si templo illi Veneris Hippolyti nomen indebat, nonne manifesto omnibus declarabat incestum quo ardebat erga Hippolytum amorem? id tolerari nullo pacto potest. nam summo opere eius interesse debebat, ut amorem suum occultaret. ac profecto cum summa cum cura diu celavit (cf. v. 392) et tantum precibus atque artibus nutricis permota est, ut a silentio, quo eum condere volebat, descisceret (v. 271, 284—353). id quidem certum est, templum Veneris, quod Phaedra Athenis condidisse perhibebatur, appellatum esse τὸ Ἱππολύτειον et deam ipsam Ἀφροδίτην ἐπὶ Ἱππολύτῳ vel Ἱππολυτείαν (cf. Asclepiad. ap. schol. Hom. Od. λ 311., schol. ad Hippol. v. 29., Diodor. IV, 62, Tzetz. ad Lycophr. 610, Corp. Inscript. Atticar. I, nr. 212., C. Wachsmuth, die Stadt Athen im Alterthum I p. 373 sqq., R. Schoell, Jen. Lit.-Ztg. 1875 p. 689). sed ex Euripidis sententia templum tum demum ita nominatum esse poterat, cum totus amor Phaedrae simulque causa, ob quam illud templum Veneri dedicasset, clare ab omnibus perspiceretur i. e. post mortem Phaedrae et Hippolyti. sensu cassum igitur hoc loco est ὀνόμαζεν. intactum autem relinquunt traditam scripturam omnes fere editores atque etiam Nauckius, diserte tuentur Monkius et Matthiaeus, sed frustra. neque sufficit Meineki coniectura ὠνόμαζον. neque quae coniecerunt Iortinus et Valckenarius, ὀνομάσουσιν probatum nunc Kirchhoffio et ὑμνήσουσιν, pro certis habenda sunt. id autem certum videtur, ὀνόμαζεν non profectum esse ab Euripide. sed si ab eo futurum alicuius verbi hic positum esse putamus, tantum abest ut omnes offensiones tollantur, ut eo ipso exsistant novae. etenim cum v. 23—40 Venus ex ordine narret, quomodo Phaedrae in Hippolytum amor ortus et magis magisque auctus sit, sane mirum est, si in hac narratione commemorat, quod nomen templum ab ea exstructum habiturum sit. nam haec res neque ad praeteritum aut praesens tempus spectat, ut κατέσχετο v. 27, ἐγκαθίσατο v. 31, ἀπόλλυται v. 39, sed ad futurum, neque ad id, quod Venus demonstrare vult, est ullius momenti. eo minus apta sunt haec verba, quod eis Venus Hippolyto, qui ei maxime

invisus erat, nimium honoris tribuere videtur. nam cuius nomine templum appellatur, in eius honorem videtur esse exstructum. denique quae in prologis Euripides ut futura adfert, ea plerumque in ipso dramate fiunt. ea autem quae v. 32, 33 praedicuntur, in ipsa fabula nusquam recurrunt vel accuratius retractantur.

Quare cum haec verba neque si servamus *ὠνόμαζεν*, neque si futurum pro eo substituimus, apte dici videantur, probabiliter putantur esse interpolata. haec est opinio Blomfieldi (Quarterly Review. vol. VIII p. 219), quem secuti Dindorfius et Bauerus v. 32, 33 uncis incluserunt. firmatur haec sententia eo, quod neque *ἔκδηλον*, quod est in optimis codicibus, neque *ἔκδημον* aptum est. (cf. Dindorf. Adnott. in Eurip. I, p. 274.) praeterea molestum est, quod Venus hoc loco de se ipsa loquens non prima persona utitur, sed verbis *Κύπρις* et *θεά* (cf. Iahn.). illud eo potest defendi, quod personae tragicae identidem se ipsae significant suo nomine proprio.[1]) cf. Aesch. Prom. 506, Soph. Aiac. 864, Eurip. Hipp. 860, Hel. 504, Med. 402, Or. 1226. cf. Hom. Il. A 240 sed quod v. 33 Venus pro *ἐμέ* dicit *θεάν*, non videtur habere excusationem.

Hartungus quidem (de interpol. p. 36) et Iahnius l. l. spurios ducunt quinque versus 29—33. sed non esse existimo, quod exterminentur v. 29—31. nam constructio *τῆσδε γῆς κατόψιον* iniuria ab Hartungo[2]) vocatur inaudita, quoniam Aeschyl. Ag. 307 non quidem *κατόψιος*, sed *κάτοπτος*, quod idem est, cum genetivo coniungitur. neque quod post *τήνδε γῆν Τροιζηνίαν* repetitur *γῆς τῆσδε*, molestum est. difficultatem praebuit viris doctis etiam *ἐγκαθίσατο* (v. 31), pro quo deteriores codices exhibent aut *ἐγκαθείσατο* aut *ἐγκαθίστατο*. hoc falsum esse apparet, dubitatur autem, utrum verum sit *ἐγκαθίσατο*, an *ἐγκαθείσατο*. mihi praeferenda videtur optimorum codicum lectio, cum verbi *καθίζειν* aoristum medium transitive dici posse de eo, qui

---

[1]) non huc pertinet, si personae modo in scaenam prodeuntes nomen suum indicant, ut spectatores cognoscant, qui sint, velut Hipp. 1285, El. 1240, Iph. Taur. 1436. Or. 1626.

[2]) eundem miror in editione uncis circumsaepsisse unum v. 33.

templum condit, appareat ex glossa Hesychii καθίσατο· ἱδρύσατο et ex his locis: Apollon. Rhod. II, 947, IV, 278 et 1219, Callim. III, 233.[1]) sed propter praepositionem ἐν desideraverunt vv. dd. etiam dativum loci, in quo templum aedificatum esset. unde Valckenarius legendum censuit:

ναῷ Κύπριδος ἐγκαθείσατο
ἐρῶσ' Ἔρωτ' ἔκδημον,

quam coniecturam recte refutaverunt Brunckius et Monkius. ipsi autem retinentes ναόν scripserunt καθείσατο. Nauckius καθίσατο. sed tamen compositum ἐγκαθίσατο, cum locus significetur verbis παρὰ πέτραν Παλλάδος, recte defendi videtur a Weilio conl. Hom. Il. Ω 81 et Soph. Oed. R. 803. nam quod Nauckius putat, si scriberetur ἐγκαθίσατο, ad hoc ex γῆς τῆσδε supplendum esse ἐν τῇδε γῇ, id non verum est.

Versus igitur 29—31 minime sunt eiusmodi, ut ferri nequeant. praeterea cur interpolati sint v. 32, 33 multo facilius intellegitur versibus 29—31 servatis quam deletis. facile enim fieri poterat, ut aliquis ad ipsos v. 29—31, quibus templum Atheniense a Phaedra Veneri conditum commemorari videbat, adscriberet v. 32 et 33. remotis autem his duobus omnia optime concinunt .atque sententia ἐπεὶ δέ ss. v. 34 respondet praecedentibus καὶ πρὶν μέν ss. v. 29, quae oppositio insertis eisdem tollitur.

Ex omnibus igitur locis, qui ex Hippolyto velato putati sunt migrasse in Hippolytum coroniferum, hic unus iure censeri videtur a nostra tragoedia esse alienus. atque ipsa opinio Iahni suspicantis, versus leviter mutatos in fine prioris Hippolyti locum habuisse, sane ita comparata est, ut, relata illa quidem non ad quinque v. 29—33, sed ad duos 32 et 33, primo adspectu possit vehementer placere. nam his versibus prorsus e more Euripidis[2]) nomen templi illius αἰτιολογικῶς, ut ita dicam, explicatur, addito etiam τὸ λοιπόν ut saepius

---

[1]) ἐγκαθείσατο ne ferri quidem posse demonstrare studuit Nauck. studd. II p. 1.

[2]) cf. El. 1275, Or. 1646, Hec. 1271, Hel. 1674, Ion. 1575—94, Iph. Taur. 1413—47, Herc. f. 1329, frgt. 230, frgt. 816, frgt. 917.

in eiusmodi locis Euripideis. atque cum in fine perditae fabulae similiter atque in nostri dramatis vv. 1323—30 honores divinos vel heroicos Hippolyto a Diana promissos esse iure colligatur e fragmento prioris fabulae a Stob. flor. 5, 16 servato (frgt. 449 *N*), facile movemur, ut in Dianae oratione hos versus locum habuisse censeamus. sed concedendum est, hanc meram esse suspicionem. accedit quod vox ἔκδηλον vel ἔκδημον vix est Euripidis, neque cur Diana, postquam totus amor patefactus est, de Phaedrae amore tam contorte loquatur, intellegitur, neque quid pro ὠνόμαζεν scriptum fuerit, apparet. itaque probabilius videtur, v. 32 et 33 a grammatico antiquitatis studioso confictos putare, cui vel ipsum ὠνόμαζεν tribui potest.

Vidimus igitur plerosque locos ad Hippolytum priorem relatos putandos esse genuinos, unum autem, qui revera est insiticius, num ex illa fabula desumptus sit, dubitationi esse valde obnoxium. neque ex reliquis locis, qui spurii censendi sunt, quisquam ad priorem tragoediam videtur posse referri. ex his si computationem facimus, statuendum est, totam illam interpolationum explicandarum rationem, ex qua versus prioris Hippolyti in textum alterius inrepsisse putantur, haud ita esse probabilem.

Iam, cum ad finem perventum sit, ea interpolamenta Hippolyti, quae certa videntur, hoc comprehendo conspectu:

v. 32 et 33	v. 970
v. 115	v. 1029
v. 625 et 26	v. 1034 et 35
v. 809	v. 1049 et 50.
v. 825	

Henricus Gloël de vita sua.

Natus sum anno h. s. LV. a. d. XI. Cal. Aug. Coerbelitziae in pago prope Magdeburgum sito, patre Johanne, qui est sacrarum rerum antistes, matre Anna e gente Rathmann. fidem profiteor evangelicam. litterarum elementis ab ipso patre imbutus adii gymnasium Magdeburgense, quod dicitur „coenobium Beatae Virginis". hoc frequentavi per septem annos et dimidium, directoribus usus vv. ill. W. Herbstio et deinde Bormanno; horum ceterorumque praeceptorum in me merita grato animo teneo. vere a. h. s. LXXV. maturitatis testimonium adeptus me contuli Halas Saxonum, ubi militari munere confestim absoluto studiis operam dedi philologicis. scholas audivi praecipue quas habuerunt vv. ill. Brieger, Dittenberger, Duemmler, Erdmann, Gering, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kramer, Schum, Thiele, Ulrici, J. Zacher. seminarii philologici per quatuor semestria fui sodalis ordinarius et per duo quidem senior, paedagogici per annum sodalis ordinarius. praeterea Keil, Zacher, Duemmler benigne permiserunt, ut interessem societati philologicae, socieatati theodiscae, exercitationibus historicis.

Quibus viris optime de me meritis cum omnibus tum Keilio et Hillero gratias et nunc ago et semper habebo quam maximas.

THESES.

I.

Eurip. Hipp. 715 s., scribendum conicio:

καλῶς ἔλεξας· πᾶν δὲ προσκοποῦσ' ἐγὼ
ἓν ῥῦμα δῆτα τῆσδε συμφορᾶς ἔχω.

II.

Eurip. Hipp. 1045 lego: *οὐκ ἄξιον τόδ' εἶπας· οὐχ οὕτω θανεῖ.*

III.

Thucyd. IV, 72, 4 pro *τελευτήσαντες* scribendum mihi videtur: *τελευτῶντες κρατήσαντες.*

IV.

Catull. carm. 64 legendum est:

v. 16 illa atque haut alia viderunt luce marinas,
v. 64 non contecta levi nudatum pectus amictu.

V.

De *σεισαχθείᾳ* recte iudicavit Schoemannus.

VI.

In referendo Orestis in Areopago iudicio Euripides fabulam antiquitus traditam magis secutus est, quam Aeschylus.

VII.

Poetae tragici graeci trimetrorum clausulas inter se consonantes ut minime evitarunt, ita fere nunquam quaesiverunt consilio.